COMMENTATIO

DE

REGIBUS ET ANTIQUITATIBUS PERGAMENIS.


SCRIPSIT

A. G. VAN CAPPELLE.

EX COMMENTATIONUM LATINARUM TERTIAE CLASSIS
INSTITUTI REGII BELGICI. VOL. VII.



AMSTELODAMI,
APUD JOHANNEM MÜLLER.
MDCCCXLII.



CONSPECTUS.

PARS PRIOR.

De Pergamenorum Regum fatis et rebus gestis.

PARS ALTERA.

De antiquitatibus Pergamenis.

Nullum antiquitatis aevum in posteros magis valuisse, quam Alexandri Magni ejusque successorum, jam ante me multi judicarunt. Vetus Persarum regnum nova regna excipiunt; at ipsi victores Graecorum quidem humaniorem vitae cultum in Orientem transferunt, sed victis numero cedentes, ad horum consuetudinem moresque deducuntur. Hinc arctioribus vinculis Europa et Asia conjunguntur. Literae disciplinaeque florent. Alexandria Athenarum aemula existit; liberae autem civitates, et eloquentia, quae vix nisi in liberis civitatibus florere potest, nusquam amplius sunt. Omnia enim in servitutem rediguntur, et brevi tempore Graeco-Macedones, sicuti reliqui Asiae reges, caedibus et vitiis se inquinant. Mox autem Seleucidarum, Ptolemaeorum, ceterorum omnium regna eundem fere exitum habent: cuncta in provinciae Romanae formam redacta sunt.

Ut igitur ingentes illas mutationes, quas tribus illis seculis ab Alexandro ad Augustum haec regna subierunt, bene perspiciamus, singulos populos eorumque fata accurate cognoscere operae pretium habendum est. Nam Romani, quantumvis fortes et bello strenui, non tantum vi armorum, sed etiam civili prudentia, saepius quoque fraude doloque, imperium suum confirmarunt. Cum vero

Pergamenos reges fidelissimos sibi socios habuerint, eorumque ope et Macedoniae et Syriae reges debellaverint, hujus regni fata ad Romanorum res quam maxime pertinere, nemo non fateatur necesse est.

Sed et plura alia sunt, quae nos impellunt ad Pergamenorum res melius cognoscendas. Intra CL annos hoc regnum oritur, floret, interit. Tam brevi temporis spatio et opibus, et literis, et belli gloria conspicuum fuit. Reges; si ultimum Attalum excipis, magnis animi dotibus et praeclaris virtutibus insignes fuerunt; neque tantum de Romanis, sed, et bibliotheca condita, et Pergamena charta inventa, de omnibus posterioris aevi populis optime meriti sunt.

Haec omnia igitur exponere et illustrare haud inutile duximus. Namque eruditi viri, qui hac in re nobis praeiverunt, quamvis multa egregie ad harum rerum historiam contulerint, aliquid tamen nobis quoque conferendum reliquerunt. Quapropter denuo omnia, quae huc pertinent, monumenta colligere, eaque digerere et dijudicare pro viribus conati sumus.

PARS PRIOR.

DE PERGAMENORUM REGUM FATIS ET REBUS GESTIS.

CAPUT I.

De Philetaero.

Alexandri Magni ducibus et successoribus regnum inter se dividentibus, Lysimachus Thraciam et Pontici maris regiones obtinuit [1]. Huic enim viro omnes virtutis palmam tribuebant; ideoque eum aptissimum judicarunt, qui ferocissimarum gentium imperium haberet [2]. Quo tamen non contentus, Pyrrho pulso, Macedoniam quoque occupavit [3], et rebus bene gestis magnas sibi opes conquisivit. Huic gazae asservandae Pergamum, Mysiae oppidum ad Caycum amnem, in primis idoneum esse duxit; quam urbem ideo *Λυσιμάχου γαζοφυλάκιον* vocat Strabo [4]. Quid causae fuerit, cur in Asiae potissimum oppido thesaurum custodiri voluerit, incertum est. Verosimile est eum jam tum in Orientem, sive contra Seleucum, quocum postea dimicavit, sive adversus alium quemcunque, expeditionem in animo habuisse, ac propterea opes suas, quo magis paratas haberet, Pergami, munitissima urbe, in ipso montis vertice

[1] Justin. XIII. 4.
[2] Id. XV. 3.
[3] Id. XVI. 3.
[4] Lib. XVI. p. 623.

condita, servari voluisse. Ut ut est, loci muniti et opum custodiam commisit Philetaero [1] eunucho, quem sibi fidelissimum expertus erat.

Hic igitur Philetaerus, qui Pergameni regni conditor fuit, patriam habuisse dicitur Teium sive Tium [2], Paphlagoniae urbem, ubi mater ejus, nomine Boa, tibicina et meretrix, vitam degere solebat [3]. Hanc vilem originem respicit etiam Daphitas grammaticus in epigrammate, quo Pergamenos reges incessit [4]. Nicander vero borum regum genus antiquissimum et nobilissimum vocat, ab Hercule originem ducens [5]. Sevinus hanc ob causam Nicandrum, poëtam ex aulicis Attali ultimi, turpis adulationis incusat. Attalum vero per matrem Stratonicen revera ab Hercule originem duxisse, certe omnes ejus aequales ita censuisse, ait Viscontius [6]. Saepius Philetaerus spado vel eunuchus cognominatur a tristi calamitate, quam, teste Strabone [7], adhuc infans passus erat. Addit Pausanias, illum

---

[1] Ita nomen scribendum: in numis enim est *Φιλέταιρος*. Perperam igitur apud Lucianum in Macrob. § 12 *Φιλαίτερος* appellatur. Vid. Spanhem. de usu et praestant. numism. VIII. 512. Cf. Sims. Chron. ad. ann. 3718. Nonnulli codices item male *Φιλέτερος* habent, qua de re vid. Almelov. ad Strab. XII. p. 543. Librarios saepius *ε* pro *αι* scripsisse animadvertunt VV. DD. ad eundem Strab. VI. p. 284.

[2] Philetaerus *Τιανὸς* vocatur a Strabone XIII. p. 623. Idem alio loco XII. p. 543 *Τὸ δὲ Τήϊον ἤδη πολίχνιον οὐδὲν ἔχον μνήμης ἄξιον, πλὴν ὅτι Φιλέταιρος ἐντεῦθεν ἦν ὁ ἀρχηγέτης τοῦ τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων γένους.* Ubi Casaubonus animadvertit *Τίειον* scribendum, auctore Stephano. Tium enim vocant reliqui masculino genere: at Strabo, inquit Stephanus, *ἐν δωδεκάτῃ οὐδετέρως καὶ τρισυλλάβως τὸ Τίειον φησί.*

[3] Antigon. Caryst. ap. Athen. XIII. p. 577.

[4] Strabo XII. p. 571.

[5] Auct. vit. Nic. p. 3. Cf. Sevin. Recherches sur les Rois de Pergame, Mem. de l'Acad. des inscr. et bell. lett. XII. p. 204.

[6] Icon. Gr. T. II. c. 9. § 2. not.

[7] Lib. XIII. p. 623. ubi dicitur fuisse *θλιβίας ἐκ παιδός*. Causa quoque additur. *Συνέβη γὰρ ἔν τινι ταφῇ θέας οὔσης, καὶ πολλῶν παρόντων, ἀποληφθεῖσαν*

eunuchum fuisse Docimi cujusdam viri Macedonis, qui fuit unus ex Antigoni ducibus, sed postea se opesque suas omnes Lysimacho tradidit [1], a quo Phrygiae praefectus Docimeae sive Docimeo oppido nomen dedit. Haec urbs postea celebris fuit insignibus lapicidinis, unde Romani ingentes magnique pretii marmoreas columnas eruebant; qui lapis ab illis quidem Synnadicus, ab incolis vero Docimitis sive Docimaea vocabatur [2]. Ceterum hic, de quo loquimur, cum alio Docimo, qui inter Alexandri duces commemoratur, minime confundendus videtur [3].

Lysimachus autem brevi post tempore domesticas in calamitates illapsus [4], multis se caedibus inquinavit, atque omnes sibi infestos reddidit. Filium habebat e priori conjuge susceptum Agathoclem, probatae indolis juvenem, quem regni successorem elegerat, et per quem multa bella prospere gesserat. Hunc filium, ut ait Justinus [5], non solum ultra patrium, verum etiam humanum ultra morem perosus, ministra Arsinoë noverca, veneno interfecit. Tradentibus aliis, Lysimachus, Arsinoës fraude ductus, Agathoclem primo quidem veneno tollere studuit; sed cum parum proficeret, veneno per vomitum rejecto, falso eum patri insidias struxisse criminatus in carcerem dejectum trucidari jussit. Quod scelus Ptolemaeus Ceraunus, Arsinoës frater, sua manu perpetrasse dicitur [6].

ἐν τῷ ὄχλῳ τὴν κομίζουσαν τροφὸν τὸν Φιλέταιρον ἔτι νήπιον, συνθλιβῆναι μέχρι τοσοῦδε, ὥςτε πηρωθῆναι τὸν παῖδα.

[1] Pausan. Att. c. 8.

[2] Vid. Strab. XII. p. 577.

[3] Vid. Diod. Sic. XVIII. 45, XIX. 16, 75, XX. 107. Cf. in primis Viscontius Iconogr. Grecque T. II. c. 9. § 1 et c. 10 § 3.

[4] Lysimachum κακοῖς οἰκείοις περιπεσόντα ad Agathoclis caedem coactum refert Strabo l. c. Illud autem de domesticis calamitatibus, non de improbis familiaribus accipiendum esse, recte animadvertunt VV. DD. ad Justin. XVII. 1.

[5] Vid. l. l.

[6] Memnon ap. Phot. cap. 9. ubi cf. Orell.

Sunt qui scriptum reliquerint, Arsinoën, turpi Agathoclis amore captam, adolescentem frustra tentatum per insidias de medio sustulisse; Lysimachum vero, quamvis scelere comperto, nihil efficere contra potuisse, quod solus esset et ab amicis destitueretur [1]. Hoc autem parricidium, quomodocunque perpetratum est, omnes indigne tulerunt. Neque tamen Arsinoë ferocem animum deposuit. Supplicium sumtum est de iis, qui occisum juvenem dolebant. Unde factum est, ut et e caede relicti et exercitibus praefecti statim ad Seleucum deficerent. Philetaerus autem, qui Agathocli fere omnia debebat, dilecti juvenis necem sibi dolori esse palam protulit. Quo facto facile praevidebat, se Arsinoae suspectum fore; ideoque per legatum Seleuco se pecuniamque omnem tradidisse fertur [2].

Mox vero rerum facies mutata est. Lysimachi enim duces, qui ad Seleucum defecerant, eum gloriae cupidissimum facile compellunt, ut Macedoniam sibi subjicere conaretur. In quo bello Lysimachus, quamvis strenue pugnans, occisus est. Seleucus vero ipse post menses admodum septem a Ptolemaeo Cerauno per insidias circumventus, regnum Macedoniae cum vita pariter amisit, Syriam Antiocho filio relinquens [3].

Corpus Seleuci pro magno auri pondere a Cerauno sibi traditum Philetaerus rogo mandavit et cineres ad Antiochum remisit [4]. Ipse vero inter has turbas regnum sibi constituit Olymp. CXXIV. 2., P. U. C. 471., A. C. N. 283. [5], et per viginti annos dominus permansit castelli ac pecuniae.

Philetaerum, quamvis eunuchum, virum fortem ac strenuum fuisse ex eo conjicimus, quod, stipendiis factis sub Antigono, Lysimachi ejusque filii Agathoclis gratiam inierit. Uterque

1 Pausan. Att. c. 10.
2 Just. et Pausan. l. l.
3 Just. XVII. 2., Strabo l. l.
4 Appian. Syriac. 63.
5 Vid. Observ. chronol. I.

enim belli gloria inclaruit: nec facile credimus Lysimachum, acrem bello virum, et multorum sententia omnium Alexandri successorum fortissimum, Philetaero Pergami et gazae custodiam commissurum fuisse, nisi hic virtutis documenta dedisset. In eo quidem satis praesidii fuisse ad Pergamum tutandum omnino apparet, quippe qui per viginti annos ibi tanquam tyrannus fuerit et in otio permanserit. Sunt qui putent eum hoc otium debuisse parvis copiis, quas haberet, et initio quidem a finitimis spretum fuisse [1]. Sed haud dubitandum est, quin magnae, quas possideret, opes multos allexissent ad Pergamum aggrediendum, nisi Philetaeri aut ejus sociorum metu prohibiti fuissent. Itaque patet illum magnam auctoritatem in subditos habuisse. Quam facile enim finitimi reges urbe potiti forent, si intus discordiae fuissent. Attamen sola virtus haud sufficere potuisset ad urbem defendendam contra potentes Asiae reges. Itaque aliae quoque animi dotes accedere debuerunt, scilicet prudentia, sagacitas, et omnino *πολιτεία* illa solers, quae tantum valet ad regna in primis recens condita tuenda et servanda. Et Strabo quidem diserte ait, quomodo Philetaerus hoc effecerit, nempe *πολιτευόμενος δὶ ὑποσχέσεων καὶ τῆς ἀλλῆς θεραπείας ἀεὶ, πρὸς τὸν ἰσχύοντα, καὶ ἐγγὺς παρόντα.* Videtur igitur Philetaerus post Seleuci mortem aliis alio tempore spem dedisse, fore ut se cum suis opibus traderet, cum interim ipse magnae gazae dominus esset. Promisit hoc in primis *potentiori et sibi propiori*, unde verosimile est illum, qui ad Seleucum defecerat, initio quidem Antiochi rebus se favere simulasse. Hic enim, qui patrem in Syriae regno exceperat, jus quoddam in Pergamenas opes habere videbatur: at vero Seleuci cineribus a Philetaero acceptis, pietate prohibebatur, quominus hunc bello aggrederetur. His et aliis artibus Philetaerus vicinos reges

[1] Vid. Choiseul-Gouffier. Voyage pittoresque de la Grèce Tom. II. Chap. XIII. p. 31.

sibi conciliavit, ac facile quisque videt, quam insigni prudentia et consilio opus fuerit ad tantam pecuniam, quam Strabo novem millia talentorum fuisse ait, incolumem servandam. Sub Philetaeri imperio Pergamum floruit et ditionis incrementa accepit, praesertim quoniam ipse, haud illiberaliter educatus, artibus et literis favebat. Fides ejus erga Lysimachum laudatur; quin et causa, cur deficeret, Agathoclis caedes et Arsinoës odium, haud pudenda erat. Cum fratribus Eumene et Attalo eorumque filiis summa concordia vixisse videtur: certe nullae dissensiones inter hos memorantur. Multis et insignibus virtutibus praeditus, itaque dignus fuit, qui regnum conderet, praesertim ea tempestate, quam idem Strabo *καιροὺς ἐπιτηδείους πρὸς νεωτερισμὸν* vocat. Octogesimo aetatis anno diem supremum obiit [1].

Incertum est, an Philetaerus, ejusque successor Eumenes, cum regia dignitate regio quoque nomine usi sint. Summi enim auctoritate historici Polybius, Livius, Strabo Attalum, Eumenis filium, primum regem fuisse appellatum referunt [2]. Perperam Justinus [3] Eumenem Bithyniae regem vocat. Sed et hunc in

---

1 Lucian. Macrob. § 12. Ed. Hemsterh. III. p. 216.

2 Id quidem Livius XXXIII. 21. diserte indicat, dicens: »Victis proelio uno Gallis, quae tum gens recenti adventu terribilior Asiae erat, (Attalus) regium nomen adscivit." Ubi forte Polybii (Exc. ex Lib. XVIII de virt. et vit. Ed. Schweigh. Tom. IV. p. 90) auctoritatem secutus est, cujus haec sunt verba: *νικήσας γὰρ μάχῃ Γάλατας, ὃ βαρύτατον καὶ μαχιμώτατον ἔθνος ἦν τότε κατὰ τὴν Ἀσίαν, ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο, καὶ τότε πρῶτον ἑαυτὸν ἔδειξε βασιλέα.* Cf. et Drakenb. ad Liv. l. l. Idem fere refert Strabo XIII. p. 624 *ἀνηγορεύθη βασιλεὺς οὗτος (Ἄτταλος) πρῶτος, νικήσας Γάλατας μάχῃ μεγάλῃ,* ubi Almelovenio videtur Strabo significare, Attalum non primum regem fuisse appellatum regum Pergamenorum, sed non ante regium nomen adscivisse, quam postquam ferocissimam Gallorum gentem devicerat; itaque apud Strabonem aut *πρῶτον* scribendum, aut *πρῶτος* adverbialiter sumi. Quae tamen interpretatio mihi quidem speciosior quam verior videtur. Neque enim video, cur Attalus, si Philetaerus et Eumenes reges appellati fuissent, non statim ab initio idem jus sibi affectasset.

3 Lib. XXVII. c. 3. ubi vidd. interpp. De hoc loco plura infra dicemus Cap. II.

Pergamenis rebus memorandis saepe hallucinatum fuisse, et satrapas quoque a Romanis nonnunquam reges appellatos fuisse constat [1]. At vero in Philetaeri numo, cujus meminerunt Golzius et Scaliger, βασιλεὺς vocatur, et in Pellerinii numo diademate cinctus conspicitur. Hinc Sevinus [2] cum regio non tantum imperio, sed et nomine usum fuisse arbitratur. Alii aliter rem expedire conati sunt. Egregius numorum interpres Eckhelius [3], cum propter Polybii et Livii auctoritatem, tum quia Philetaeri imago in omnibus numis non eadem cernitur, omnes Pergami reges Philetaeros dictos fuisse censet, sicut Aegyptiorum reges Ptolemaei, Parthorum Arsaces vocantur [4]. Quam opinionem recte refellit Choiseul-Gouffierius, qui sagacissime conjicit, hos numos in Philetaeri honorem ab ejus successoribus cusos fuisse [5]. Quidquid autem statuendum est, Attalum primum ab exteris quoque nationibus regem appellatum, indeque cunctos Attalidas reges dictos fuisse constat. Neque verosimile duco Philetaerum, qui modo huic modo illi vicinorum principum se addictum simularet, regium nomen affectasse, quo ceteros Asiae tyrannos, et in primis Antiochum magnopere offendisset.

---

1 Ex. gr. Nep. Vit. Datam. cap. 3.

2 Mem. de l'Acad. des inscr. et bell. lett. XII. p. 208, 209.

3 Doctr. vet. num. II. p. 473.

4 Eadem est sententia Viscontii Iconographie Grecque II. p. 200.

5 Voyage pittoresque de la Grèce Tom. II. Chap. XIII. p. 42. De Pergamenorum regum numis infra plura dicemus.

CAPUT II.

De Eumene I.

Philetaerum Olymp. CXXIX. 2., P. U. C. 491, A. C. N. 263, excepit Eumenes, Eumene Philetaeri fratre natus. Male hic a nonnullis Philetaeri frater dicitur [1], quod satis refellitur Strabonis testimonio, qui, accuratam Pergamenorum regum successionem exhibens, diserte ait: *ἦσαν δὲ αὐτῷ (Φιλεταίρῳ) δύο ἀδελφοί, πρεσβύτερος μὲν Εὐμένης, νεώτερος δὲ Ἄτταλος· ἐκ μὲν οὖν τοῦ Εὐμένους ἐγένετο τῷ πάτρι ὁμώνυμος Εὐμένης, ὃς διεδέξατο τὸ Πέργαμον.* Idem auctor refert illum vicinis jam regionibus imperasse et adeo viribus crevisse, ut apud Sardes, adversus Syriae regem Antiochum *τὸν Σελεύκου*, proelio commisso, victor discesserit. Omnino hoc de Antiocho Sotere, Seleuci Nicatoris filio, accipiendum videtur. Perperam vero Simsonius [2] Antiochum Hieracem intelligit, qui Strabonis verbis *Ἀντίοχον τὸν Σελεύκου* non *υἱόν*, sed *ἀδελφὸν* subaudiendum existimat, ita ut non Seleuci, Syriae regni conditoris, filium Antiochum Soterem, sed Seleuci Callinici fratrem Antiochum Hieracem spectarent. Recte autem Wesselingius ad h. l. animadvertit rariora esse exempla, ubi sic loquuntur. Equidem vero haudquaquam arbitror Strabonem minus usitata loquendi forma usum fuisse, ubi rem explicare, non obscuriorem reddere voluit. Antiochi enim nomini illud *τὸν Σελεύκου* adjecit, ne cum aliis Antiochis confunderetur. Itaque si de fratre, non de filio, Seleuci accipiendum esset, profecto addidisset *Καλλινίκου*, aut aliud quid ejusmodi,

---

[1] Ita Diog. Laert. IV. 38. ubi vid Reines.

[2] Ad. ann. 3761.

ad sensum ambiguum tollendum. Sin vero Antiochum Soterem, celebris illius Seleuci Nicatoris filium significasset, minime opus erat cognomentum addere, quibuslibet auctoris mentem et vulgarem verborum constructionem satis superque intelligentibus.

Simsonius autem in errorem ductus est Justini loco depravato, cui frustra mederi conati sunt interpretes. Hic enim ita refert: »Interea rex Bithyniae Eumenes, sparsis consumtisque fratribus »(Antiocho Hierace et Seleuco Callinico) bello intestinae discor»diae, quasi vacantem Asiae possessionem invasurus, victorem »Antiochum Gallosque aggreditur. Nec difficile saucios adhuc »ex superiore congressione, integer ipse viribus superat. Ea »namque tempestate omnia bella in exitium Asiae gerebantur: »uti quisque fortior fuisset, Asiam velut praedam occupabat. »Seleucus et Antiochus fratres bellum propter Asiam gerebant: »Ptolemaeus, rex Aegypti, sub specie sororiae ultionis Asiae »inhiabat. Hinc Bithynus Eumenes, inde Galli, humiliorum »(al. horum omnium) mercenaria manus, Asiam depopulaban»tur, cum interea nemo defensor Asiae inter tot praedones »inveniebatur. Victo Antiocho, cum Eumenes majorem partem »Asiae occupasset, ne tunc quidem fratres, perdito praemio, »propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt: sed »omisso externo hoste, in mutuum exitium bellum reparant" [1]. Vera sunt quae hic de misera Asiae conditione dixit Justinus. Sed quis non videt eum turpiter peccare, ubi Eumenem Bithynum et Bithyniae regem vocat? Inter Bithyniae reges nullus hujus nominis rex memoratur [2]. Sin autem cum Gronovio pro Eumene Nicomedem restituas, quod vix admitti possit, cum eodem capite Eumenis nomen ter inveniatur, res etiam magis obscura redditur. Nicomedes enim nunquam cum Gallis pugnavit, sed contra ipso adjuvante Galli in Asiam pervenerunt et,

---

[1] Lib. XXVII. cap. 3.

[2] Vid. Perizon. Animadv. Hist. cap. 11.

arctissima societate inita, perpetuo amicitiam ejus coluerunt. Imo his temporibus Nicomedes jam vita discesserat [1]. Quod si vero Pergami dynasta intelligitur, non Eumenes, sed Attalus Gallos aggressus est, cujus nomen etiam pro Eumene in Trogi Pompeji epitome legitur. Quocunque vero modo Justini verba explicanda sunt, nobis quidem minime persuasum est, quod Simsonius inde colligit, Eumenem hoc tempore Bithyniam in suam potestatem redegisse.

Quo magis autem credamus Antiochum Soterem cum Eumene congressum fuisse, faciunt verba Memnonis [2], qui diserte tradit hunc Syriae regem, Philetaeri morte cognita, cum exercitu venisse ad Pergami opes occupandas, sed ab Eumene, qui magnas copias collegisset, fusum fugatumque fuisse apud Sardes. Et omnino verosimile est Antiochum Soterem, ad cujus patrem Seleucum Philetaerus defecerat, in Pergamenas opes jus quoddam sibi vindicasse, cum et ipse Philetaerus, ut supra vidimus, specie quidem illi se addictum simulasset. Cum vero Antiochus, propter patris cineres remissos, pietatis vinculis prohibitus fuisset, quo minus Philetaerum aggrederetur, statim, hoc mortuo, successorem ejus bello petivisse videtur. Quin et temporum ratio minime obstat. Antiochi enim Soteris tempora ultima cum prioribus Eumenis regni annis conveniunt [3]

Praeter memoriam hujus proelii cum Antiocho nulla alia res ab Eumene gesta commemoratur, nisi quod regnum multo majus reliquit, quam acceperat. Philetaeri exemplum secutus literis favit, et postquam viginti duos annos regnaverat, morbo ex ebrietate contracto, e vita decessit, nulla, ut videtur, prole relicta [4].

---

1 Graev. ad. Just. l. c. 2 Ap. Phot. cap. 21. 3 Vid. Observ. chron. II.

4 Strabo l. c. Athen. Deipnos. X. 13 ubi legitur: *ὑπὸ μέθης ἀπέθανεν Εὐμένης ὁ Περγαμηνὸς ὁ Φιλεταίρου τοῦ Περγάμου βασιλεύσαντος ἀδελφιδοῦς, ὡς ἱστορεῖ Κτησικλῆς ἐν τρίτῳ χρόνων.*

CAPUT III.

De Attalo I.

Pergamenum regnum, quod, Philetaero et Eumene imperantibus paulatim creverat et viribus auctum fuerat, ad summam dignitatem evexit Attalus, qui Eumeni successit Olymp. CXXXIV. 4., P. U. C. 513, A. C. N. 241 [1]. Patrem habuit Attalum, Philetaeri fratrem natu minorem; matrem vero Antiochida, Achaei filiam. »Huic viro," ut ait Livius, »praeter divitias, nihil »ad spem regni fortuna dederat. His simul prudenter, simul »magnifice utendo, effecit, primum ut sibi, deinde ut aliis »non indignus videretur regno. Victis deinde proelio uno Gal»lis, quae tum gens recenti adventu terribilior Asiae erat, re»gium adscivit nomen, cujus magnitudini semper animum ae»quavit" [2]. De regio nomine supra diximus. Res vero ab Attalo gestas ubi exposuerimus, facile cuivis apparebit eum hoc Livii praeconio minime indignum fuisse.

Quo tempore igitur Attalus rerum potitus est, Galli ex Europa in Asiam trajecti jam magnam Paphlagoniae Phrygiaeque partem, quae ab ipsis Galatia sive Gallo-Graecia dicebatur, occupaverant, et viribus ingenti sobole auctis, etiam Syriae reges, eo tempore potentissimos, tributarios fecerant. Quod autem de recenti illorum adventu Livius memorat, minus accurate dictum est, quippe qui jam Olymp. CXXVI. 2. a Nicomede, Bithyniae

---

[1] Vid. Observ. chron. III.

[2] Liv. XXXIII. 21. Cf. Strabo l. l. Eadem fere verba sunt Polybii Exc. de virt. et vit. XVIII. Ed. Schweigh. IV. 89. *'Εκείνῳ μὲν γὰρ ἐξαρχῆς ἄλλο μὲν οὐδὲν ἐφόδιον ὑπῆρξε πρὸς βασιλείαν τῶν ἐκτὸς, πλοῦτος δὲ μόνον.*

rege, in Asiam traducti essent [1]. Tantum vero terroris omnibus, quae cis Taurum incolebant, gentibus injecerunt, ut quas adissent, quasque non adissent, pariter ultimae propinquis, imperio parerent, et ut etiam reges non lacessiti, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur [2].

Quis igitur in Attalo aegre tulisset, si, ceterorum exemplum secutus, iniquis Gallorum conditionibus morem gessisset, eoque magis quod non adeo copiis quam pecunia valeret? Sed generoso animo tale consilium indignum ratus, primus omnium Asiam incolentium Gallis stipendia dare abnuit. Facile praevidebat ferocem populum id haud aequo animo passurum. Itaque copias paravit, quibus se contra hostilem impetum defenderet. Ubi vero mox Galli fines imperii Attali invaserant, haud multum abfuit, quin a consilio desistere cogeretur. Nam non solum nullus finitimorum regum auxilia praebuit, sed et Pergamenos milites tantus terror occupavit, ut vix ulla spes victoriae ostenderetur. Attalus vero, callido strategemate usus, labantes militum animos excitavit. Ante pugnam scilicet sacra faciens, ut refert Polyaenus [3], in extis victimae apparere fecit hanc inscriptionem: *βασιλέως νίκη*, quo commento militibus animus additus est. Frontinus [4] autem, ejusdem strategematis mentionem faciens, illud haruspici [5]

---

1 Liv. XXXVIII. 16. Memnon apud Phot. c. 19 ibique Orell.

2 Liv. l. l., Just. XXIV. 4. 3 Lib. IV. cap. 19. 4 Strateg. I. 11.

5 Haruspici nomen erat Indines. Apud Frontinum quidem legitur Innides, sed vatis nomen scribitur, ut nos habemus, non tantum apud Polyaenum l. c., sed et apud Strabonem XVI. p. 855. Cf. et Sims. ad. ann. 3464. Idem Saudes dicitur Sevino pag. 213, qui Frontinum hoc strategema Eumeni II tribuere testatur. Hic igitur pro *Innides* perperam legisse videtur *Eumenes*. Attamen haec addit: „Ne vaudroit-il » pas mieux cependant attribuer a Attalus premier le stratagème, dont il s'agit? La » terreur de son armée ne venoit sans doute, que de la longue possession, où estoient » les Gaulois de battre les peuples de l'Asie, et sous le règne d'Eumenès ils estoient » fort déchûs de cette haute reputation, que leur avoit acquise le gain de tant de » batailles."

tribuit, qui Attalo in sacrificando aderat. Ut ut est, signis collatis, Pergami rex superior fuit, et victos Gallos a mari recedere coëgit. Proelium commissum videtur Olymp CXXXV. 1., P. U. C. 514, A. C. N. 240 [1].

Hac pugna Attalus ingentem gloriam adeptus est, et opes insigniter auxit; neque tamen Gallorum animos ita infregit, ut absisterent imperio. Pausanias diserte tradit eos ab Attalo intra Galatiae fines fugatos fuisse: *Γάλατας γὰρ*, inquit, *ἐς τὴν γῆν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἔχουσιν, ἀναφυγεῖν ἠνάγκασεν* [2]. Quam tamen regionem, Strabone teste, non nisi aliquot annis post a Prusia et Pergamenis regibus acceperunt [3]. Illud certum videtur, Gallos etiam post Attali victoriam complures urbes ad Hellespontum sitas tenuisse [4].

Idem Pausanias Phaënnidis, mulieris fatidicae, mentionem facit, quae Gallos ab Attalo caedendos praedixerat his verbis:

ἀοσσητῆρα Κρονίων
Ὁρμήσει ταύροιο διοτρέφεος φίλον υἱὸν,
Ὃς πᾶσιν Γαλάτῃσιν ὀλέθριον ἦμαρ ἐφήσει.

Quo modo autem illud oraculum intelligendum sit, auctor ipse monet: *παῖδα δὲ εἶπε ταύρου τὸν ἐν Περγάμῳ βασιλεύσαντα Ἄτταλον τὸν δὲ αὐτὸν τοῦτον καὶ ταυρόκερων προςείρηκε χρηστήριον* [5]. Aliud Pythiae oraculum legitur apud Suidam, quo regnum promittitur huic Attalo, ejusque filio et nepoti:

Θάρσει ταυρόκερως· ἕξεις βασιληΐδα τιμὴν
Καὶ παίδων παῖδες, τούτων γε μὲν οὔκετι παῖδες [6].

---

[1] Vid. Clint. Fast. Hell. Tom. II. App. VI. p. 401.

[2] Attic. cap. 8.

[3] Lib. XII. pag. 566.

[4] Polyb. Lib. V. cap. ult.

[5] Pausan. Phocic. cap. 15.

[6] Suid. in voc. Ἄτταλος.

Cur vero Attalus in his oraculis *ταύρου υἱὸς* et *ταυρόκερως* dicatur, incertum est. Num haec verba Taurum montem spectant, cis quem Pergamenum regnum situm erat? Haud verosimile arbitror. Sed fieri potest, ut res aliter expedienda sit. Ut vulgo notum, Baccho a poëtis et artificibus cornua taurina tribuuntur, itaque Euripides, Sophocles, Orpheus [1] cognomina ei imponunt *ταυρόκερως, βούκερως, ταυρομέτωπος*; quin etiam absolute *ταῦρος* vocatur [2]. Causae afferuntur vel quod de vacca natus sit, vel quod primi homines cornibus ad potandum usi fuerint, vel quod ebrietatis ea vis est, ut quasi det cornua [3], vel quod ejusmodi cornua summorum legislatorum, Moysis, Confucii, Bacchi Indici fuerint insigne. An forte Attalus, alios reges imitatus, Bacchi specie se depingi voluit, ideoque dictus *ταυρέκερως* est? quemadmodum Alexander saepius sub Herculis imagine in numis conspicitur, et Commodus quoque Herculem Romanum dici se voluit. Spanhemius quidem docet, projectam cervicem et cornua ideo successoribus Alexandri usurpata, ut se et oris et habitus similitudine ejus quasi legitimos heredes probarent [4]. In Thesauro Brandenburgico [5] numus est Lysimachi cum cornibus, quae aliis arietina (quod scilicet Ammonis se filium credi voluit Alexander), aliis taurina videntur. Laudatur illic Appianus Alexandrinus [6], narrans Lysimachum sylvestrem taurum in Alexandri sacrificio olim clapsum manibus tenuisse [7]. In eodem Thesauro [8] numus est Antigoni, cujus facies cornibus et clava est

1 Bacch. 100, Strab. XV. 1008, Orph. Hymn. XLIV. 1.

2 Lycophr. v. 209, Athen. XI. 7. 470, Plut. Quaest. Gr. Tom. II. p. 299.

3 Isid. VIII. 11, Ovid. de Art. am. I. 239.

4 Spanh. de Num. Diss. XII. Tom. II. p. 493. Lamprid. in vit. Alex. Severi: „Alexandri habitu numos plurimos figuravit" cet. p. 183.

5 Tom. I. p. 244.

6 Syriac. laudat. Politiano Misc. c. 79 et Caelio Rhodig. lec. ant. lib. XX. c. 11.

7 Cf. Beger. ad hunc num. et Const. Landi Sel. Num. p. 23.

8 Pag. 247.

conspicua : in alio autem [1] Prusias capite alato cernitur, de quo multa quidem nugatur Begerus; quamquam mihi alis iis nihil aliud videtur indicari, nisi regem Mercurii se imagine depingi voluisse. Alio modo Viscontius rem expedire tentat. Credit enim Achaeum, Attali avum maternum, Seleuci Nicatoris cognatum fuisse, qui tauri nomine nonnunquam indicatur. Haec autem, uti et reliqua, quae de Attali origine idem Viscontius conjicit, vix verosimilia arbitror [2]. Sed ad propositum redeamus.

Devictis Gallis, Attalus majores res aggreditur, et omnia, quae sunt citra Taurum, loca in Asia occupat. Quod cum haud aequo animo pateretur Seleucus, Seleuci Callinici filius, cognomine Ceraunus, ad quem Syriae regnum pervenerat, Attalo bellum infert adjutus ab Achaeo, Andromachi filio. Seleucus enim Andromachi sororem in matrimonio habebat. Itaque maximis copiis Taurum transscendit; sed ibi post paucos dies ab Apaturio Gallo et Nicanore dolo circumventus atque occisus est [3]. Achaeus autem, de percussoribus supplicio sumto, solus Attalum bello persecutus est, atque adeo feliciter rem gessit, ut Attalo nihil praeter Pergamum reliquerit. Qua victoria elatus Sardes occupavit, et ab Antiocho Magno, qui Seleuco fratri successerat, defecit, seque regem salutari jussit [4]. Id factum est Olymp. CXXXIX. 4, P. U. C. 533, A. C. N. 221.

Eodem tempore inter Rhodios et Byzantinos bellum ortum erat. Ab utraque parte inter Asiae reges sibi socios quaesiverunt. Rhodii quidem ad Prusiam, Bithyniae regem, legatos miserunt, qui eum ad bellum Byzantinis inferendum impellerent. Hi vero et ab Attalo et ab Achaeo auxilium petiverunt. Attalus autem, quamvis ad eam rem promtus esset, suis rebus consulere cogebatur, jam intra paterni imperii limites redactus. Achaeus

---

1 Ibid. p. 269. 2 Viscont. Icon. Gr. T. II. c. 9. § 2.

3 Polyb. IV. 48., Appian. Syr. c. 66. Cf. et Hieron. ad Daniel. XI. 10.

4 Polyb. l. c.

vero, sive propter Pisidarum irruptionem in Syriam [1], sive hortantibus Byzantinis, ut de novo regno adversus Prusiam et Antiochum firmando cogitaret, ab Attalo persequendo destitit, auxiliumque Byzantinis pollicitus est. Hac re permotus Prusias, pacem inter Attalum et Achaeum sibi periculosam fore credens, Rhodiis opem praestitit. Alia quoque causa erat, cur Byzantinis iniquus esset, quippe qui ad Attalum, Minervae sacra celebrantem, legatos misissent, qui rem divinam cum eo facerent, sed Prusiam Soteriorum sacra facientem neglexissent [2].

Utrum pax inter Attalum et Achaeum revera composita fuerit, dubitari potest. Certe simulata et non diuturna fuit. Attali vero virtus et animi magnitudo non minus in adversis, quam in prosperis rebus apparuit. Quamvis ad incitas redactus, amissa recuperare tentavit, copiisque auxiliariis Gallorum Tectosagorum adjutus cum exercitu Aeolidem ingressus est. Facili negotio urbes Cymen, Smyrnam, Phocaeam, quae animo semper ipsi faverant, recuperavit. Advenientis Attali metu Aegaeenses et Temnitae, uti et Teii ac Colophonii ultro se dediderunt [3]. Quos omnes Attalus prudenti consilio in fidem recepit, iisdem, quibus antea, foederis legibus: attamen obsides dare jussit. Magna vero benignitate et benevolentia Smyrnaeorum legatos accepit, qui populus prae reliquis omnibus constantissime in ejus fide manserat.

His urbibus recuperatis, Attalus rebus suis jam magis fidens Lycum flumen trajecit, Mysorumque fines egressus ad Carsenses et *Δίδυμα τείχη* venit; quibus oppidis captis Pelecantem montem superavit et ad Megistum fluvium castra posuit.

---

[1] Sevin. p. 215. [2] Polyb. IV. 49.

[3] Teios et Colophonios Achaeum adiisse male refert Casaubonus in interpretatione Polyb. V. 77. ed. Ern. In indice vero ejusdem editionis recte dicuntur per legatos Attalo se permisisse.

Attamen haec omnia frustra fuerunt. Galli enim, mercenarii milites, itineris, in quo nihil praedae ostendebatur, molestias jam diu aegre ferebant. Itaque, cum luna forte defecisset, ostenti metu, sive vero, sive simulato, ulterius se progressuros negarunt. Ingens inde periculum Attalo oriebatur. Nam si Gallos dimisisset, omnino verendum erat, ne ad Achaeum deficerent et Attali ditionem invaderent. Quid autem? Num omnes ad unum interficeret, ut ab eorum insidiis tutus esset? Polybius eum id non fecisse credit propter metum, ne inde malam famam nancisceretur, cum satis cognitum esset, eos fidem ipsius secutos in Asiam trajecisse. Mihi vero ingenuus Attali animus a tali scelere abhorruisse videtur; neque id paucis suis militibus tam facile perpetrare potuisset. Attalus autem, nunquam inops consilii, fecit id quod prudentissimum erat. Deduxit enim ad Hellespontum Gallos istos, et postquam Lampsacenos, Alexandrenses atque Ilienses propter fidem sibi praestitam laudaverat, cum exercitu Pergamum est reversus [1].

Interim Antiochus Magnus, qui Achaei defectionem aliquamdiu neglexisse videtur, monte Tauro superato, ad bellum se comparat, et Sardes, quo Achaeus se receperat, obsidet. Quo melius autem id perficeret, Attali auxilium implorat et impetrat [2]. Sevinus credit Attalum, implacabili odio in Achaeum ductum, Antiocho opem tulisse, sed rebus suis male consuluisse, quoniam Syriae regum potentia, propter foedus cum Philetaero initum, semper metuenda erat [3]. Sed quis non videt Attalum his quidem temporibus Antiocho imparem fuisse futurum, ideoque recto judicio opem ei praestitisse? Ut ut est, utriusque regis copiae Sardes oppugnaverunt. Achaeus autem proditus et ad Antiochum deductus est, qui eum e medio sustulit Olymp. CXLI. 4, P. U. C. 541, A. C. N. 213 [4].

---

[1] Polyb. V. 77, 78.
[2] Polyb. V. 107, XII. 4, 5.
[3] Sevin. p. 217.
[4] Polyb. VIII. 12 sqq.

Victoria de Achaeo reportata, Attalus quibusdam urbibus munitis, quae ei se dediderunt, imperium auxit. Sed haud diuturna pax illi contigit. Philippus enim, Macedonum rex, Thraciam vastabat, et merito metuebat Attalus, ne Pergamenum regnum invaderet. Hunc igitur ut a finibus suis arceret, ad Aetolos legatos mittit, auxilium iis contra Philippum, cui infesti erant, pollicentes; quod his valde gratum fuit [1].

Jam Romani, viribus magis magisque crescentibus, Orientis rebus se immiscere coeperant. Aliquot annis ante, Philetaero adhuc Pergamum tenente, Aegypti rex Ptolemaeus, cognomine Philadelphus, audita Pyrrhi fuga, Romam gratulatum miserat, petitumque ut Populi Romani socius et amicus haberetur [2]. Id Patres laeti acceperunt, et ab eo inde tempore, ut ait Livius, Romani ab Asia, veluti futura praeda, nunquam oculos dimoverunt, eamque paulatim, ut cuivis notum, totam sibi subjecerunt. In omnibus, quae Senatus Romanus egit et perfecit, idem animus idemque consilium apparet; id scilicet, quod apud poëtam Anchises filio suo praecipit:

> Tu regere imperio populos, Romane, memento;
> Hae tibi erunt artes: pacisque imponere morem,
> Parcere subjectis, et debellare superbos [3].

Itaque, postquam Italiam in potestatem suam redegerunt, ad Asiam, Graeciam, Macedoniam oculos converterunt, ibique discordias alendo parvosque reges contra potentiores adjuvando, paulatim rerum potiti sunt. Quod si Asiae reges universi contra Romanos stetissent, viribus forte superiores evasissent et commune periculum cunctis imminens effugissent. Sed sibi quis-

---

[1] Sevin. l. c. et auctt. ab eo laudati,

[2] Id factum est anno U. C. 480, C. Fabio Licino C. Claudio Canina Coss. Vid. epit. Liv. XIV. Male apud Eutrop. II. 15 legitur annus 481, ubi Cff. VV. DD.

[3] Virg. Aen. VI. vs. 852 sqq.

que consulentes, alius alio tempore Romanis auxilia praebuerunt. Inter hos Pergameni reges diu fidelissimi Romanorum socii fuerunt, cujus rei Attalus, de quo agimus, dedit exemplum. Hic igitur Syriae semper ac Bithyniae reges metuens, omnino cupidus fuit societatis jungendae cum Romanis, quorum amicitia adjutus, regnum se aucturum sperabat, in eaque re, cum solus Romanorum viribus impar fuisset, omnino prudenter egit. In bello enim, quod Romani cum Philippo gerebant, Prusias, Bithyniae rex, a Macedonum partibus contra Romanos stabat. Bithynia autem finitima erat Pergamenorum ditioni. Itaque hujus regni partem sibi praedae futurum, si Macedones et Bithyni Romanis inferiores essent, Attalus facile praevidebat. Quapropter societatis foedus junxit cum M. Valerio Laevino praetore Olymp. CXLII. 1, P. U. C. 542, A. C. N. 212 [1].

Conscriptis igitur conditionibus, quibus in amicitiam societatemque populi Romani veniret, Attalus anno U. C. 543 in Europam trajicit, et in insula Peparetho portum occupat [2]. Neque tamen aliquid memorabile gestum videtur. Sequenti vero anno Philippus in Graeciam descendit, cui Aetoli, Pyrrhia duce, occurrunt. Hunc enim cum absente Attalo in eum annum praetorem creaverant. Conserto proelio Pyrrhias, qui etiam Attali auxilia secum habebat, a Philippo bis vincitur: ideoque Aetoli, metu compulsi, Lamiae urbis moenibus se continent. Philippus ad Phalara exercitum reduxit. De pace mentio facta, sed consultatio, in concilium Achaeorum dilata est. Interim triginta dierum induciae conceduntur, legatis Ptolemaei, Rhodiorum, Atheniensium et Chiorum operam dantibus, ut bellum componeretur. Fama erat Attalum classe Euboeam petiturum. Ideirco Philippus Chalcidem profectus est, ibique adversus Pergamenum

[1] Liv. XXVI. 24, Justin. XXIX. 4, Eutrop. III. 14. Vid. Observ. chron. IV.
[2] Polyb. X. 39.

regem praesidium reliquit. Ipse Argos et inde Rhium se contulit. Ibi de pace consultatum est, quam tamen Aetoli turbarunt, postquam et Attalum Aeginam [1] venisse et Romanam classem ad Naupactum stare audiverunt. Quo auxilio freti tam iniquas pacis conditiones tulerunt, ut Philippus, indignum ratus victos victori sibi ultro conditiones ferre, infecta pace concilium dimiserit [2]. Quantopere Attali auxilium a sociis aestimatum sit, ex hac narratione cuivis facile apparebit.

Deinde Philippus complures urbes expugnat, in his locum agri Calydonii, qui Elaeus dicitur, cui muniendo omnem apparatum Attalus suppeditaverat Aetolis [3]. Mox a Sulpicio, Romanorum duce vincitur et in Macedoniam revertitur. Sulpicius Aeginam classe profectus cum Attalo sese conjunxit, ibique ambo hibernarunt [4].

Principio aestatis anni sequentis U. C. 545 Sulpicius et Attalus Lemnum trajecerunt, Romanis quinque et viginti quinqueremibus, regiis quinque et triginta transmissis. Hinc Peparethum

---

[1] Attalum ab Aetolis hanc insulam pretio emisse tradit Sevinus p. 218 his verbis: » Dans la vüe de donner aux Romains des marques essentielles de son attachement, » il acheta des Aetoliens l'Isle d'Égine. Valerius Antias a donc eû tort d'avancer que » le Sénat en avoit fait présent à ce prince. L'autorité de Polybe doit l'emporter, sans » contredit, sur celle d'un écrivain, dont Tite-Live relève souvent les erreurs et les » inadvertances." Scilicet Valerius Antias (apud Livium XXXIII. 30) inter leges pacis cum Philippo post pugnam ad Cynoscephalas factae etiam hanc fuisse refert, ut Attalo Aegina insula elephantique dono darentur. Polybius autem (Excerpt. Leg. 41 ed. Schweigh. Tom. IV. p. 261.) memoriae prodidit Aetolos ex pacto foederis (κατὰ τὰς πρὸς Ῥωμαίους συνθήκας) Attalo Aeginam urbem tradidisse, acceptis ab eo triginta talentis. Hinc minime patet Attalum Romanorum in gratiam Aeginam insulam emisse; quae ei ex Romanorum arbitrio addicta fuit. Valerius Antias autem tempora confudisse videtur. Attalus enim ante pacem Philippo datam e vita discesserat; nisi Attalus, Eumenis frater, qui postea Attali natu minoris tutor imperium obtinuit, significetur. Qua de re vid. Drakenb. ad Liv. l. l.

[2] Liv. XXVII. 30. [3] Polyb. IV. 65.

[4] Liv. XXVII. 31, 32, 33.

Attalus adiit, omnemque circa urbem agrum depopulatus est. Quod cum Philippus audivisset, urbi praesidium misit. Concilium Aetolorum Heracleae, quo Attalus etiam ad consultandum de summa belli venturus erat, frustra Philippus regem excipiendo turbare conatus est, seque Demetriadem recepit. Sulpicius et Attalus a Peparetho Nicaeam, inde in Euboeam ad urbem Oreum trajecerunt, atque inter eos ita convenit, ut Romani a mari, regii a terra oppugnarent [1].

Facili negotio Romani Oreum capiunt. Attalus Opuntiorum urbem captam diripit. Sed interim Philippus supervenerat, cujus adventum ignorans Attalus pecuniis a principibus exigendis terebat tempus: adeoque improvisa res fuit, ut nisi Cretensium quidam, forte pabulatum ab urbe longius progressi, agmen hostium procul conspexissent, opprimi potuisset. Attalus inermis atque incompositus cursu effuso mare ac naves petit et Oreum se recipit. Inde quum fama accidisset, Prusiam, Bithyniae regem, in fines regni sui transgressum, omissis Romanis rebus atque Aetolico bello, in Asiam trajecit [2].

Prusias scilicet aliquot annis ante adversus Gallos, quos Attalus ex Europa ad bellum contra Achaeum acciverat, expeditionem susceperat et acie dimicaverat. Neque viros tantum in ipso proelio, sed conjuges etiam ac liberos eorum in castris jugulaverat [3]. Hinc cum in Hellespontiacas urbes, quas Gallorum metu liberaverat, jus quoddam exercuisse verosimile est. Jam vero felici eventu elatus et Philippi rebus favens Pergamenum quoque regnum sibi subjicere conabatur. Sed cum non multum profecisse credibile est, quoniam nullus veterum scriptorum res in hoc bello gestas memoriae prodidit [4].

---

1 Liv. XXVIII. 5.   2 Liv. XXVIII. 6, 7.

3 Attali rerum gestarum memoriam jam suo tempore magna ex parte vetustate aboletam queritur Pausanias Attic. c. 6.

4 Polyb. V. all.

Interim Hannibale Italiam opprimente, in libris Sibyllinis carmen inventum est, quemcunque hostem alienigenam Italia pelli vincique posse, si Mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret [1]. In hac urbe scilicet magnum fuisse templum refert Strabo, summaque cultum religione Matris deorum, quam Angistidin appellabant: locum autem sacrum ab Attalicis regibus magnifice fuisse exornatum templo porticibusque albi lapidis [2]. Itaque anno U. C. 549 legati ad Attalum missi sunt M. Valerius Laevinus, qui bis consul fuerat ac res in Graecia gesserat, M. Caecilius Metellus praetorius, Serv. Sulpicius Galba aedilitius, duo quaestorii C. Tremellius Flaccus et M. Valerius Falto. His quinque naves quinqueremes, ut ex dignitate populi Romani adirent eas terras, ad quas concilianda majestas nomini Romano esset, decernunt. Legati Asiam petentes protinus Delphos cum escendissent, oraculum adierunt, consulentes, ad quod negotium domo missi essent, perficiendi ejus quam sibi spem populoque Romano portenderet. Responsum esse ferunt, *Per Attalum regem compotes ejus fore, quod peterent: quum Romam Deam devexissent, tum curarent, ut eam qui vir optimus Romae esset hospitio exciperet.* Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrumque iis lapidem, quem Matrem Deûm incolae esse dicebant, tradidit ac deportare Romam jussit [3]. Ita Livius et alii: Ovidius vero, ejusdem rei mentionem faciens, legatos ab Attalo non Pergami, sed Pessinunte receptos ait, eumque, cum rem prius negasset, non nisi terrae motu adductum fuisse, ut auferendi Deam veniam daret [4]. Idolum illud, quod ex Phrygia Romam misit Attalus, lapidem fuisse non magnum, coloris furvi, angulis prominentibus, inaequalem, indolatum et asperum tradidit Arnobius [5].

---

1 Liv. XXIX. 10.

2 Lib. XII. p. 567.

3 Liv. XXIX. 11. Vid. et Herodian. I. 11.

4 Fast. IV. 261.

5 Sub fin. Lib. VII. adversus gentes.

Eodem anno Romani pacem cum Philippo fecerunt in hanc conditionem, ut neutra pars amicos alterius infestaret[1]. Verosimile est bellum, quod Attalus cum Prusia gerebat, hac pace compositum fuisse.

Attamen eam pacem inter Romanos et Macedones talibus conditionibus non ex animo initam fuisse re patuit. Et Philippus quidem, non multo tempore interjecto, infestum animum ostendit Cium, Bithyniae urbem, Aetolis amicam, capiendo. Quam cum Prusiae genero tradidisset [2], Attali quoque regnum aggressus est. Hunc enim ulcisci cupiebat propter auxilium Romanis praestitum, quo illos maxime adjutos superiores fuisse haud immerito credebat. Itaque neglectis pacis legibus, Attali imperii fines transgressus est et ipsum Pergamum tentavit. Summo vero consilio et prudentia Attalus omnia providerat, ita ut Philippi milites non tantum ab urbe satis munita facile repulsi sint, sed etiam ex agris nullam praedam facere potuerint. Hinc ira et quasi rabie commotus Macedo in deorum simulacra ac templa saeviit; quibus incensis, lapides quoque confregit, ne posthac restitui possent [3]. Inter haec Veneris templum fuit splendidissimum ac Nicephorium, Jovis fanum, cui lucus deo sacer adjacebat, quem, septo everso arboribusque prostratis, delevit et omnia solo aequavit. Quibus peractis magnum quidem Attalo damnum dedit, sed nulla praeda facta regressus est et Hierau Comen se contulit [4].

Itaque Rhodii, societate cum Attalo facta, Philippo bellum inferunt et proelium navale tentant ad Laden insulam prope Miletum. Macedones ibi cladem passos Antistheues et Zeno,

---

1 Appian. Maced. 2.

2 Polyb. XV. 21 sqq.

3 Appian. l. l.

4 Polyb. Exc. ex Lib. XVI. de virt. et vit. ed. Schweigh. Tom. III. p. 570. Cf. et Liv. XXXI. 46, XXXII. 33, 34.

Rhodii, quos Livius [1] secutus videtur, memoriae prodiderunt. Sed Polybio multo major fides habenda est, qui Philippo victoriam tribuit [2]. Altera pugna navalis, quae ad Chium commissa est, longe nobilior fuit, quam idem Polybius magnifice describit. Scilicet Philippum Chio cum classe Samum vela facientem Attalus et Theophiliscus [3], Rhodiorum praefectus, cum remigio essent usi acerrimo, mox assecuti adortique sunt. Et Attalus quidem dextram classis hostilis partem, quae reliquum agmen antecedebat, Theophiliscus vero eos, qui ad sinistram erant, aggressus est. Philippus suos, ut proras navium in hostem verterent acriterque pugnarent, cómmonuit; ipse aliquot cum navibus ad parvas quasdam se insulas, in medio trajectu sitas, recepit, ibique proelii eventum exspectavit. Ubi primum ab Attali navi proelium est commissum, omnes repente, qui propius aberant, non expectato pugnae signo, inter se concurrerunt. Attalus, cum octere congressus, primo statim impetu navem hostilem vulneravit, tandem etiam, quamvis strenue pugnantem demersit. Philippi deceris, quae praetoria tunc navis erat, casu quodam in hostium potestatem venit. Jam reliquae naves utriusque classis certamen aequabant. Nam ut Macedones lemborum numero, ita Attalus eo superior erat, quod plures tectas naves habebat. Et ad dextrum quidem Philippicae classis cornu quod attinet, ea tunc facies rerum erat, ut, cum anceps plane victoria maneret, ejus tamen potiundae spes luculentior

---

[1] Lib. XXXI. 14, ubi Philippus dicitur cum Rhodiis et Attalo navalibus certaminibus, *neutro* (scilicet ad Laden et Chium) feliciter proelio, vires expertus fuisse.

[2] Exc. ex Lib. XVI. de virt. et vit. ed. Schweigh. Tom. III. p. 596 sq. Cf. et Sevin. p. 221, 222.

[3] Hujus viri virtutes magnopere laudat Polybius XVI. 8, quippe qui civibus suis persuaserit, ut ad oblatam opportunitatem sese excitarent et in Macedonem insurgerent, taqua Attalum coëgerit non cunctari, nec jam bellum apparare, sed gerere omnibus viribus et periculum adire.

penes Attalum esset. Rhodiorum vero conatus variis modis sunt impediti. Theophiliscus ipse, tribus vulneribus saucius, Philostrato trierarcho adjuvante, aegre servatus est. - Mox tamen ubi suorum navibus se conjunxerat, denuo pugnam capessens, hostes vehementer adortus est. Attali classis, dextro cornu certam victoriam tantum non in manibus habens, parvis insulis appropinquabat, in quibus Philippus, proelii eventum exspectans, in ancoris stabat, quum Attalus quinqueremem e suis extra proelium animadvertens sauciatam, quae ab hostili nave demergebatur, cum duabus triremibus ad ferendum ei opem contendit. Et quum hostilis navis inclinasset in fugam, seque in terram recepisset, insequitur rex, cupidius, quam par erat, navis potiri studens. Philippus, ut Attalum vidit longo intervallo a suis separatum, pluribus navibus in eum est profectus, regemque interclusum a sua classe coëgit, de sua salute vehementer anxium, naves in continentem ejicere: quo facto ipse quidem cum sociis navalibus Erythras concessit, at naves ejus regiamque supellectilem Philippus cepit. Nam Attalus et qui circum eum erant, eo tempore arte quadam usi, pretiosissima quaeque de supellectile regia super tabulatum navis exposuerunt: unde evenit, ut Macedones, qui in eam lembis vecti primi inciderunt, conspicati pocula multa, vestem purpuream et vasa alia, res ejusmodi comitari solita, omissa persequendi cùra, ad ea diripienda se converterent. Qua ex re id consecutus est Attalus, ut tuto sibi Erythras profugere liceret. Philippus, qui universi proelii victoriam luculentam hosti tradiderat, casu inopinato Attali elatus, in altum vela dedit, idemque studio summo naves suas colligens, bono animo esse militem jubebat, quando navali proelio vicissent. Plerosque sane hominum, qui videbant Philippum regiam Attali navem suis alligatam in portum deducere, Pergamenum regem periisse credebant. At Dionysodorus, conjectans id, quod regi, a quo stabat, acciderat, sublato in altum signo, naves

suas coëgit, quibus statim ad ipsum collectis, ad orae Asiaticae stationes sine periculo se contulit. Quae dum aguntur, Macedones, qui cum Rhodiis dimicabant, jam diu laborantes proelio excesserunt, et alii post alios per causam subveniendi celeriter suis navibus sese receperunt. At Rhodii naves, alias suis revinctas trahentes, alias rostrorum ictibus quassatas relinquentes, Chium navigarunt [1]. Haec pugna commissa videtur Olymp. CXLIV. 4, A. U. C. 553, A. C. N. 201 [2].

Insignis victoria, quam Attalus et Rhodii de Philippo reportaverant, iis tamen parum profuit. Horum socordiam et negligentiam valde carpunt Polybius et Livius [3], propterea quod Philippum in Hellespontum trajicere et in Graecia vires colligere passi sunt. Qua in re tamen hoc observandum est, multos homines negligentiae accusatos fuisse propter id quod non fecerunt, aut aliis faciendum reliquerunt; quos profecto aut culpa vacuos esse, aut etiam prudenter egisse arbitraremur, si omnes et singulas causas non ignoraremus, quae eos prohibuerint, quominus ex nostro judicio agerent.

Philippus igitur cladem dissimulans victoriam sibi vindicabat, eo in primis, quod, Attalo in terram expulso, navim ipsius ceperat. Secum vero de accepta clade dolens regio animo praesentibus malis mederi studuit. Itaque classe relicta Heraclidi, ut Maroneam peteret, ipse terra eodem cum expeditis duobus millibus peditum, equitibus ducentis pergit. Capta vero Maronea multisque aliis urbibus et castellis, Abydeni, ne legatis quidem admissis, regi portas clauserunt. Ea oppugnatio diu Philippum tenuit, eripique ex obsidione, ni cessatum ab Attalo et Rhodiis foret, potuissent. Attalus trecentos tantum milites in

---

1 Polyb. Lib. XVI. cap. 1 sqq. ed. Schweigh. Tom. III. p. 571 sqq. Cf. et Flor. II. 7, 8.

2 Vid. Observ. chron. V.

3 Polyb. XVI. 13, Liv. XXXI. 15,

praesidium, Rhodii quadriremem unam ex classe, quum ad Tenedum staret, miserunt. Eodem postea, quum jam vix sustinerent obsidionem, ipse Attalus quum trajecisset, spem tantum auxilii ex propinquo ostendit, neque terra, neque mari adjutis sociis [1].

Interim, dum haec a Philippo aguntur, Attalus, statim post pugnam navalem ad Chium, Piraeeum, renovandae firmandaeque cum Atheniensibus societatis causa, trajecerat. Huc a populo Atheniensi ad regem legati missi sunt, non tantum gratulatum ob rem bene gestam, sed etiam, qui peterent, ut Athenas de summa rerum consultum veniret. Rex, sine Romanis nihil agendum sibi ratus, eum horum legatis colloquium habuit, cumque iis una et cum Atheniensium magistratibus magno comitatu urbem ascendit. Quanta populi benevolentia eum erga Romanos, tum et multo quidem magis erga Attalum fuerit, vix dici potest. Magistratus, sacerdotes, cives omnes cum conjugibus et liberis ei obviam venerunt. Omnia ei templa patebant, omnibus aris victimae paratae erant, cupientibus Atheniensibus, ut ubique rex sacra faceret. Inter summos honores, quos illi decreverunt, qualesque nemini fere unquam contigerunt, illud non minimum ducendum arbitror, tribuum unam de regis nomine Attalida nuncupatam fuisse. Cum enim ceteras tribus a gentis suae auctoribus Athenienses appellassent, Attalum tribus nomine inter eos recipere videbantur. In concionem vocatus rex suae dignitati magis consentaneum esse duxit scripto agere quam verba facere. Recitatis literis, in quibus eos ad arma contra Philippum capienda adhortaretur, accedentibus quoque Rhodiorum legatis idem petentibus, populus ingenti consensu bellum decrevit. Hinc rex Aeginam ad classem se contulit [2].

---

[1] Liv. XXXI. 16. Cf. Polyb. XVI. 30 ed. Schweigh. Tom. III. p. 628 sq.

[2] Polyb. Exc. Leg. III. ed. Schweigh. Tom. III. p. 617, Liv. XXXI. 14, 15. Cf. et Paus. Attic. c. 8.

Romani autem Philippo propter ruptas foederis leges graviter offensi bellum contra eum decreverunt A. U. C. 554, P. Sulpicio Galba C. Aurelio Coss., paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam [1]. Qua re valde laetatus Attalus cum Sulpicio, qui Graeciam provinciam nactus erat, per legatos convenit, ut ipse Aeginae (ibi enim hibernabat) Romanam classem opperiretur, cumque ea contra Philippum rem gereret [2]. Aetolos quoque Attalus frustra ad bellum excitavit, quamvis antea his opem tulisset [3].

Jam vero classis Romana, cui L. Apustius legatus erat praefectus, Attalo regi se conjunxit. Primo Piraeeum, hinc Andrum navigant, ubi praesidium a Philippo in arce positum erat. Urbem aggressi facile capiunt, civibus in arcem fugientibus, quae tertio die se dedidit, ea conditione ut omnes, et ipse, et Macedonicum praesidium cum singulis vestimentis Delium Boeotiae transveherentur. Romani praedam, quam fecerant, sibi servant; ipsam insulam et arcem Attalo tradunt. Hic autem regionem ab incolis desertam parvae utilitatis sibi fore censens, recto judicio omnibus fere militibus civibusque, qui aderant, ne patriam relinquerent, persuasit; magnis quoque promissis eos,

---

1 Vid. Observ. chron. VI.

2 De hac Attali et Romanorum societate contra Philippum Sibyllae oraculum fuisse refert Pausanias Achaic. 8. his versibus:

Αὐχοῦντες βασιλεῦσι Μακηδόνες Ἀργεάδῃσιν,
Ὑμῖν κοιρανέων ἀγαθὸν, καὶ πῆμα Φίλιππος.
Ἤτοι ὁ μὲν πρότερος πόλεσιν λαοῖσί τ' ἄνακτας
Θήσει· ὁ δ' ὁπλότερος τιμὴν ἀπὸ πᾶσαν ὀλέσσει,
Δμηθεὶς ἑσπερίοισιν ὑπ' ἀνδράσιν ἠῴοις τε.

Romani enim (ut ipse Pausanias explicat), qui ad occasum sunt, Attali et Mysorum, qui ad solis ortum vergunt, auxiliis assumtis, Macedonum regnum everterunt.

3 Liv. XXXI. 15. Cf. Polyb. IX. 65, ubi dicitur Attalus omnem apparatum muniendae urbi Elaeo Aetolis suppeditavisse.

qui Delium abierant, Andrum revocavit. Atque ita insulam sibi subjectam tenuit [1].

Relicta Andro Attalus et Apustius Cythnum trajiciunt, atque ex aliis quoque urbibus magna praeda potiti in Euboeam revertuntur. Hinc Apustius et Attalus decem navibus expeditis Maliacum sinum petunt, ut cum Aetolorum legatis (nam hi quoque bellum susceperant) de summa rerum consulerent. Sipyrrhias, legationis princeps, ab Attalo petiit, ut mille milites mitteret, qui tamen Aetolis id negavit, quoniam sibi quoque nullum auxilium praestiterant, quo tempore Philippus Pergamum premebat. Ea igitur legatio nihil effecit. Rex et Apustius ad classem redierunt.

Inde Oreum urbem, ubi Heraclides, Philippi praefectus, classem tenebat, Romani et Attalus diversis partibus oppugnaverunt, eamque valde munitam et firmo praesidio instructam ceperunt. Haec quoque urbs regi tradita est. Hujus autem vigilantia et in agendo celeritas etiam in eo conspicua fuit, quod dum oppugnationis opera a militibus conficerentur, ipse repentino adventu Aegeleon, civibus nihil minus quam tale quicquam timentibus, oppressit sibique subjecit. Quibus peractis Apustius cum Attalo Piraeeum trajecit. Hinc Romanus legatus Corcyram petiit, Attalus autem aliquamdiu remansit, ut Cereris sacris adesset; hinc quoque ipse in Asiam se recepit [2].

Sequenti anno a P. Villio consule, cui Macedonia provincia sorte evenerat, nihil memorabile gestum est [3]. Interea Attalus, quamquam Romanis auxilia praestitit, ipse tamen rebus suis consulere cogebatur. Nam Antiochus Magnus, quem Philippus in suas partes traxisse videtur, Pergamenum regnum invaserat. Tum vero patuit, qualem gratiam Romani pro Attali fide habi-

---

[1] Liv. XXXI. 44, 45. [2] Liv. XXXI. 46, 47.

[3] Liv. XXXII. 6, ubi Valerius Antias refellitur.

turi essent. Rex enim, ubi proximo anno, cum T. Quinctius Flamininus consul Macedoniam sortitus esset, Romam legatos miserat, qui de Antiocho quererentur, peterentque, ut Romani vel praesidium darent ad Pergamenum regnum tutandum, vel regis auxilia remitterent, bonestum quidem, sed, ut equidem arbitror, rege non satis dignum responsum tulit. Quod quo melius appareat, ipsa Livii verba hic transscribere operae pretium erit: »Senatus legatis ita responderi jussit: »Quod rex Attalus classe copiisque aliis duces Romanos juvisset, »id gratum Senatui esse. Auxilia nec ipsos missuros Attalo ad»versus Antiochum, socium et amicum populi Romani, nec »Attali auxilia retenturos, ultra quam regi commodum esset. »Semper populum Romanum alienis rebus, arbitrio alieno, »usum. Et principium et finem in potestate ipsorum, qui ope »sua velint adjutos Romanos, esse. Legatos ad Antiochum »missuros, qui nuntient, Attali, naviumque ejus et militum »opera adversus Philippum, communem hostem, uti populum »Romanum. Gratum eum facturum et Senatui, si regno Attali »abstineat belloque absistat. Aequum esse, socios et amicos »populi Romani reges, inter se quoque ipsos pacem servare [1]."

Talis erat Romanorum agendi ratio. Socios et amicos reges tanquam subditos habere solebant. Itaque copias quidem Attalo negarunt; at legatos mittere, qui ex Senatus jussu res decernerent, non recusarunt. Verumtamen, etsi regis auxilia haud ita magni facere videbantur, satis intelligebant societatem cum illo sibi maxime adversus Philippum profuturam. Bellum igitur inter Attalum et Antiochum, missis in Syriam legatis, composuerunt. Inter pacis conditiones etiam haec fuisse videtur, ut Attalo Antiochus pecuniam solveret [2]. Pro

1 Liv. XXXII. 8.

2 Vid. Appian. Syr. 38.

quo beneficio rex, ut gratum animum ostenderet, coronam auream CCXLVI pondo per legatos in Capitolio posuit [1].

Pace facta, Attalus L. Quinctio, Titi consulis fratri, in expugnanda Eretria et Carysto opem tulit. Corinthum quoque aliquamdiu una oppugnarunt, quo cum Philippus nova praesidia misisset, Attalo suadente, incensis operibus oppugnationem omiserunt [2].

Ineunte hyeme, T. Quinctius consul cum Philippo colloquium habuit, cui et Dionysodorus, Attali legatus, interfuit. Huic postulanti, ut naves captivosque, quae ad Cium [3] navali proelio capta essent, Philippus redderet, Nicephoriumque et Veneris templum incensum restitueret, ab rege responsum est, Attalum belli auctorem fuisse, se vero, Romanorum gratia, naves redditurum vastatique luci sationem suscepturum. Frustra tamen pax tentata est, sed induciae in duos menses factae sunt [4].

Attalus Aeginae hibernavit. Ad quem, uti et Elatiam ad Quinctium, Nabis, Lacedaemoniorum tyrannus, quem Philippus Argis praefecerat, legatos misit, omnia quae posset ex ejus sententia se facere velle significans. Quinctius ad eum se venturum pollicitus est, Attalumque monuit, ut secum Sicyonem conveniret. Hic igitur consulem Sicyone oppertus, cum Romanum imperatorem non decere tyrannum adire, huic ad Romanum eundum esse diceret, Quinctium in sententiam suam traxit, colloquiumque haud procul ab urbe habitum est. De Argis frustra disceptatio ab Attalo rege nata est. Nabis autem cum Achaeis inducias fecit, consuli vero auxilia misit.

Attalo Sicyone, ubi illi jam antea magni habiti honores fuerant, attributi nunc sunt novi. Pro veteribus honoribus rex

---

[1] Liv. XXXII. 27. [2] Liv. XXXII. 16 sqq.

[3] Fortasse *Chium* legendum; nam ad Cium, Bithynorum urbem, terrestri, haud navali proelio dimicatum est.

[4] Liv. XXXII. 32 sqq.

sacrum Apollinis agrum magna pecunia iis redemerat, pro novis autem decem talenta argenti, et decem millia medimnûm frumenti dono dedit. Ipse Cenchreas ad classem rediit [1].

Initio autem veris A. U. C. 551 Attalum cum T. Quinctio proconsule Thebas profectus est ad concilium Boeotorum, ibique primus omnium verba fecit. Postquam vero de suis majorumque suorum in Graeciam meritis quaedam dixerat, infirmitas corporis eum prohibuit, quominus pergeret, subitoque interclusa voce concidit. Cuncti de regis casu solliciti fuerunt, concionemque paulisper intermiserunt. Quinctius etiam aliquot dies Thebis moratus est, ut quantum posset regi succurreret, neque prius abiit, quam omnia ad curandum necessaria reliquisset. Attalus autem parte membrorum captus Pergamum transmissus altero et septuagesimo vitae anno diem supremum obiit, cum quatuor fere et quadraginta annos regnum tenuisset [2].

Attalus ex Antiochide Cyzicena, quam uxorem duxerat, quatuor filios Eumenem, Attalum, Philetaerum, Athenaeum superstites habuit. In eo laudando omnes consentiunt. Quid Livius de eo censuerit, supra jam vidimus initio hujus capitis, qui et haec addit: » Summa justitia suos rexit: unicam fidem » sociis praestitit: mitis ac munificus amicis fuit: regnum adeo » stabile ac firmum reliquit, ut ad tertiam stirpem possessio » ejus descenderit." Iisdem fere verbis Polybius Attali laudes celebrat, additque eum singulari modestia et gravitate cum uxore ac liberis vixisse [3]. De insignibus hujus regis in literas et artes meritis infra dicemus.

Quod ad uxorem ejus attinet, egregia fuisse mulier videtur,

---

[1] Liv. XXXII. 39, 40.

[2] Liv. XXXIII. 1, 2, 21. Strab. XIII. p. 624. Plut. in Flamin. et Symp. VIII. Cf. et Polyb. Excerpt. Leg. XXV. Vid. quoque, quae diximus in Observ. chron. VI.

[3] Strab. et Liv. l. l. Polyb. Excerpt. et Lib. XVIII. de virt. et vit. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 89 sq.

quam filii summa pietate colebant. Eumenes II et Attalus II eam mortuam consecrarunt, eique splendidum Cyzici templum dedicaverunt. Epigrammata, quae in hoc templo legebantur, stili simplicis, sed omnia pietatem in matrem spectantia, ab ipsius templi conditoribus, vel certe ab aliquo fratrum conscripta fuisse censet Viscontius [1].

CAPUT IV.

De Eumene II.

Optimis auspiciis Eumenes, Attali filius, patrem in regno excepit Olymp. CXLV. 4, A. U. C. 557, A. C. N. 197 [2]. Diuturno et sapientissimo Attali imperio opes, quibus Pergamum semper valuit, insigniter auctae erant. Ad stabiliendum domi regnum faciebat summa concordia fratrum, magna benevolentia amicorum, qui, Attali beneficiis obstricti, filium quoque heredem ingenti amore prosequebantur. Exterorum autem infestissimi hostis, Philippi Macedonis, vires adeo fractae erant a Romanis, pugna ad Cynoscephalas commissa, ut ne spes quidem amissa recuperandi illi relicta esset [3]. Inter pacis quoque conditiones diserte adjectum, ne cum Eumene bellum gereret [4]. Eidem decem legati, qui de pace Roma missi

1 Iconog. Grecq. Tom. II. c. 9. § 2. not. 1.

2 Perperam hic Eumenes apud Themist. Orat. VI. p. 74 Philetaeri filius appellatur. Cf. Wessel. ad Sims. Chron. ann. 3808.

3 Vid. Observ. chron. VII.

4 Valer. Ant. apud Liv. XXXIII. 30.

erant, urbes Oreum et Eretriam [1] concedere volebant; verum dissentiente Quinctio venit res in arbitrium Senatus, qui libertatem his civitatibus dedit [2].

Eumenes, patris consilium secutus, amicitiam cum Romanis colere studuit. Itaque in bello, quod T. Quinctius Flamininus adversus Lacedaemonios eorumque tyrannum Nabidem gessit A. U. C. 558, Romanis auxilia praebuit, et ad Cycladas insulas venit cum decem tectis navibus, triginta lembis mistisque aliis minoris formae navigiis [3]. Eodem bello L. Quinctius, Titi frater, Gythium, validam urbem et multitudine civium incolarumque et omni bellico apparatu instructam oppugnavit. Cui rem haud facilem aggredienti rex Eumenes et classis Rhodiorum supervenerunt. Ingens multitudo navalium sociorum e tribus contracta classibus intra paucos dies omnia, quae ad oppugnationem urbis terra marique munitae facienda opera erant, effecit. Attamen urbs difficilis captu fuisset, ni T. Quinctius cum quatuor millibus delectorum militum supervenisset. Tum vero urbs tradita est. Quo audito Nabis colloquium petit, cui et Eumenes interfuit. Paulo post, pace tyranno data, praeter Rhodios et L. Quinctium, etiam Eumenes ab Lacedaemone ad classem mittitur, qui se inde Pergamum contulit [4].

---

[1] Pro Eretria perperam apud Sevinum p. 241 bis Chalcis legitur, qui ceteroquin de hoc Senatus arbitrio ita recte judicat: »Rien de plus sage en effet, que de partager »la Grèce en différents petits États tous indépendants les uns des autres, et de les »mettre par-là dans l'impuissance de former de grandes entreprises. Les jalousies et »les haines estoient autant d'obstacles à l'union de ces Republiques entr'elles, et avec »les Rois successeurs d'Alexandre; union à la faveur de la quelle ils auroient pû aisé»ment arrêter les progrès des Romains, et déconcerter les projets ambitieux d'une »Republique, qui méditoit déjà la conquête du Monde entier. Elle n'avoit donc garde »de céder à Eumenès Chalcis (Érétrie) et Oréum: la possession de ces deux places l'au»roit rendu maitre de l'Eubée, et il l'estoit déjà de l'Isle d'Égine."

[2] Liv. XXXIII. 34. Polyb. Exc. Leg. IX. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 106.

[3] Liv. XXXIV. 26.

[4] Liv. XXXIV. 29, 30, 40.

Eumenem ab hac cum Romanis societate Antiochus Magnus distrahere conatus est. Hic enim populo Romano bellum inferre cupiens vicinos Aegypti et Cappadociae reges affinitate sibi adjunxit atque Eumeni quoque filiam in matrimonium obtulit. Quas tamen nuptias Eumenes recusavit, tum quia Romanos superiores fore credebat, tum quia ab Syriae rege, si victor e proelio cessisset, periculum sibi futurum praevidebat. Qua de re etiam mirantibus Attalo et Philetaero fratribus, quod hanc affinitatem sperneret, persuasisse videtur [1]. Et sane belli exitus Eumenis consilium probavit, sed Romanorum quoque amicitiam non satis fidam extremis vitae temporibus expertus est.

Eumenes igitur (nam Antiochum graviter offensum fore non dubitabat) ultro Romanos de Asiae rebus certiores fecit. Ad Antiochum vero amicitiam cum Romanis simulantem Senatui legatos mitti placuit P. Sulpicium, P. Villium, P. Aelium [2]; e quibus Sulpicius et Villius A. U. C. 561 cum Eumene collocuti sunt, ipsos quam maxime ad bellum incitante. Antiochus vero per Minionem legatis persuadere studuit, ut Eumeni fidem non haberent. Hi itaque omnium incerti Romam redeunt [3].

Senatus itaque, ut de rebus, quae ab Antiocho agerentur, melius cognoscerent, in Graeciam legatos misit. Interim Attalus, Eumenis frater, Romam venit, Antiochumque regem Hel-

1 Appian. Syr. 5. Cf. et Liv. XXXV. 13.

2 Ita Livius XXXIV. 59. Verum hujus legationis principem fuisse P. Scipionem Africanum ex aliis traditum ab Appiano ait Wesselingius ad Sims. Chron. ann. 3813. Verba autem Appiani Syriac. 9 haec sunt: Ῥωμαίων δὲ πρέσβεις, ἕτεροί τε, καὶ Σκιπίων κ. τ. λ., quibus significare videtur Scipionem huic legationi interfuisse, nec tamen principem legationis nominat. Ipse quoque Livius XXXI. 14 ab aliis memoriae proditum refert P. Africanum in ea fuisse legatione. Notum est colloquium, quod Scipio eo tempore Ephesi cum Hannibale habuisse dicitur. Vid. Liv. l. l., Lucian. Dial. Mort. XII, Appian. Syriac. 10 ibique Schweighaeuser.

3 Liv. XXXV. 13 sqq.

lespontum cum exercitu trajecisse nunciavit; Aetolos ita se parare, ut sub adventum ejus in armis essent. Qui nuncius Senatui populoque adeo acceptus fuit, ut non tantum verbis sed donis quoque Attalo regique fratri gratum animum significaverint. Testante Livio [1], iis aedes liberae, locus, lautia decreta sunt, et munera data, equi duo, bina equestria arma, et vasa argentea centum pondo, et aurea viginti pondo. Quae omnia satis ostendunt, quanto auxilio sibi Eumenem fore Romani crederent.

Hic igitur T. Quinctio, Romanorum legato, in Chalcidis Euripo occurrit, ibique praesidio quingentorum militum relicto, Athenas se contulit. Sed cum Antiochus classe in Europam trajecisset, exercitu admoto, Chalcidensibus persuasit, ut admitteretur [2].

Haec omnia hostilem Antiochi in Romanos animum satis indicabant. Itaque A. U. C. 563, P. Cornelio Scipione Nasica, M' Acilio Glabrione Coss., bellum adversus eum decretum est, eodemque anno victus apud Thermopylas et Graecia pulsus. Aetolis quoque a Romanis subactis, Antiochus in Asiam rediit et Ephesi diu securus admodum de bello Romano permansit. Sed erat id temporis in Asia Hannibal, qui implacabili Romanorum odio ductus, Antiochum ad bellum incitaverat. Idem nunc quoque regem adiit, ejusque negligentiam et socordiam reprehendit, magis mirari se dicens, quod non jam in Asia essent Romani, quam venturos dubitare. Itaque rex Chersonesum, quo ipse profectus est, praesidiis firmavit, Polyxenidam classem parare jussit, et omnia reliqua ad bellum diligenter instruxit [3].

Interim Eumenes cum classe erat Aeginae, suoque regno ingens ab Antiocho periculum imminere intelligebat. Hinc diu

1 Liv. XXXV. 23.
2 Liv. XXXV. 39, 51.
3 Liv. XXXVI. 41.

incertus fuit, utrum Pergamum trajiceret, an Romanis afforet. Cum vero suam sortem cum Romanorum fortuna conjunctam esse judicaret, sibi non discedendum ratus, ad C. Livium, qui ad Scyllaeum Romanae classi praeerat, cum tribus navibus profectus est, eique auxilia pollicitus Aeginam rediit [1].

Haud multo post Eumeni promissa perficiendi copia data est. Namque Polyxenidas, Romanorum classem aggressus, laevo quidem cornu inferior erat, sed dextra satis strenue pugnabat. Ubi vero Eumenes cum magna classe, in qua viginti quatuor tectae naves erant, subito advenit, dextrumque hostium cornu invasit, protinus fuga facta est. Tredecim naves captae, decem demersae sunt: nec nisi navium celeritati Polyxenidas salutem suam debuit. His igitur rebus peractis, Eumenes Pergamum revertitur [2].

Sequenti anno, U. C. 546, Eumenes L. Aemilio Regillo, qui Livio in navali imperio successerat, cum duabus quinqueremibus occurrit. Samum postquam ventum est, accepta a Livio classe, Aemilius concilium advocavit, in quo Eumenes rex Livio obstitit suadenti, ut classe Ephesum peterent portumque obsiderent. Ceteris quoque Livii sententia displicuit [3]. Sed ea, quae ad Romanos proprie pertinent, omittimus. Hoc tantum animadvertimus, unde appareat, quantopere Eumenes auctoritate apud socios valeret. Scilicet in Bargylletico sinu, excursione ad Iassum facta, Rhodii, qui Iassensium precibus moti urbi parci cupiebant, ad Eumenem regem se converterunt, atque ita pervicerunt, ut oppugnatione absisteretur [4].

Haec dum ab Eumene geruntur, absentis regnum Seleucus, Antiochi filius, iuvasit. Elaea, ad quam urbem primum accesserat, omissa, vastatis agris, protinus Pergamum aggressus

[1] Liv. XXXVI. 42.
[2] Liv. XXXVI. 43 sqq.
[3] Liv. XXXVII. 14, 15.
[4] Liv. XXXVII 17.

oppugnavit. Attalus, fratris vicem gerens, primo quidem hostem repellere conatus est, sed cito expertus se viribus imparem esse, intra moenia se recepit. Seleucus igitur urbem obsidere coepit, ad quem Antiochus e castris stativis, quae ad caput Cayci amnis habebat, aliquot millia militum, in primis Gallorum mercenariorum, ad Pergamenum agrum vastandum transmisit. Haec ubi Eumenes Sami audivit, statim classe Elaeam trajecit; hinc equitum peditumque expeditorum praesidio tectus, hostibus improvisus adest Pergamum contendens. Regis animum et celeritatem omnes mirantur, qui tamen, qua erat prudentia, de summa rei decernere noluit, levibus tantum quibusdam certaminibus factis. Paucis vero diebus interjectis, Romanorum Rhodiorumque classis regis in auxilium veniens Elaeam appulit. Quod metuens Antiochus, misso caduceatore ad Aemilium, velle se de pace agere significavit [1].

Seleuco Pergamum obsidente, Diophanes quidam rem memoratu dignam gessit. Hic enim Pergamenorum in auxilium mille milites cum centum equitibus ex Achaia Elaeam traduxerat, atque inde, viam ducentibus ab Attalo missis, noctu cum suis, inscio hoste, in urbem intromissus fuerat. Parvo quidem numero hi milites erant, sed forti animo bellique peritissimi; dux ipse Philopoemenis summi imperatoris discipulus. Qui cum obsidentium negligentiam et securitatem videret, ab Attalo fortunam tentandi veniam petiit. Vix eam impetrare potuit, nam hostium numerus Diophanis copias ter quaterve superabat; tandem vero, venia data, cum suis porta egressus non procul ab hostium statione consedit. Seleuci milites Achaeorum paucitatem spernentes eadem socordia dispersi jacebant. Quos subito impetu Diophanes aggressus penitus fundit fugatque, spectantibus Pergamenis, ejusque audaciam, quam primo quidem

1 Liv. XXXVII. 18.

amentiam duxerant, mirantibus. Aliquamdiu vero fugientes, quoad tuto fieri poterat, persecutus in urbem rediit. Hac clade prudentior factus Seleucus postero die quingentis passibus longius ab urbe castra posuit, militibus magis compositis et ordinatis. Diophanes quoque in eundem quo pridie locum processit. Utrinque impetu exspectato, hostes ad occasum solis in castra redire coeperunt. Tum vero Diophanes, dum in conspectu erant, quievit; deinde haud minori quam antea impetu hostium postremum agmen aggressus, adeo illos perterrefecit, ut nemo adversus eum restiterit, omnes, vix agminis ordine servato, in castra se reciperent [1].

Ita Livius rem tradidit eodemque fere modo hanc Achaeorum eruptionem Appianus memoriae prodidit, addens Diophanem Pergamenos hortatum esse, ut secum in hostem erumperent; eos vero neque tum, neque postero die Diophanem sequi ausos fuisse [2]. Attamen Attali satis nota virtus prohibet nos, quo minus talem ignaviam in eo suspicemur. Imo prudenter egisse videtur, quod Pergamum, regni caput, non prorsus defensoribus orbavit. Nam revera Diophanis consilium audacissimum fuit; idque quod in duce, auxiliaribus copiis praeposito, magnopere laudandum est, in principe, cui cura salusque imperii commissa erat, omnino temerarium fuisset.

Diophanes, Appiano teste, pabulantes lignantesque hostes saepius adortus ex insidiis et nunquam sine damno elabi passus, ex agro Pergameno Seleucum movere castra coëgit et omnino e regno Eumenis expulit. Idem Livius testatur. Sed credibile est, ut recte animadvertit Sevinus, appropinquantem exercitum Romanum aut solam, aut praecipuam causam fuisse, cur Seleucus tam festinanter Pergamum reliquerit. Eumenes, ut Pergamum obsideri audivit, sine mora Elaeam trajecit. Aemilii

[1] Liv. XXXVII. 20, 21.

[2] Appian. Syriac. cap. 26.

opem in regno suo tuendo implorasse videtur; nam Romana classis cum eo Rhodiisque Elaeam rediisse traditur [1].

Deinde Eumenes Elaea eum omnibus navibus suis L. Scipioni consuli obviam in Hellespontum profectus est, ibique omnia ad trajiciendum praeparavit. Consul exercitum contra Antiochum ducens ad caput Cayci amnis pervenit. Eumenes, classem Elaeam reducere cupiens, aliquamdiu adversis ventis impeditus est, quominus Lecton promontorium superaret. Itaque, ne consuli justo tempore deesset, classe relicta, in terram egressus, Romana castra adiit. Inde Pergamum abiit, ut commeatum et reliqua omnia, quae ad bellum necessaria erant, expediret. Quibus peractis ad consulem in castra rediit [2].

Secutum est proelium nobilissimum circa Magnesiam, quae ad Sipylum est, in quo Romani insignem illam de Antiocho victoriam reportaverunt. Auxilia Eumenis adduxit tria millia ferme peditum, octingenti equites. Eumenem ipsum laevo cornu praefuisse Appianus memoriae prodidit, cujus tamen rei Livius nullam mentionem facit [3]. Ut ut est, in eo quidem omnes conveniunt, Eumenis et Attali virtute Romanos egregie adjutos fuisse, imo magnam partem utriusque auxilio et rei militaris peritiae victoriam debuisse, id quod ex magnifica pugnae apud Livium descriptione cuivis facile apparebit. Quae, quamvis lectu dignissima, aliquanto longior est, quam ut tota hic inseratur. Pauca tamen quaedam, ad Pergamenum regem ejusque fratrem proprie pertinentia, hic memoranda sunt.

Ingens sibi a falcatis quadrigis auxilium fore Antiochus putabat, itaque eas in prima acie locaverat. Falces ita erant deligatae, ut neque iis, qui ab latere objicerentur, neque prolapsis aut subeuntibus parcerent. Sed terribilis earum aspectus

---

1 Appian. et Liv. l. c. 2 Liv. XXXVII. 37.
3 Liv. XXXVII. 39, Appian. Syriac. 31.

Eumenem non movit, probe scientem, quid in tali periculi genere faciendum esset. Cretenses enim sagittarios funditoresque et jaculatores equitum ab omni parte tela ingerere jussit, ita quidem dispositos, ut quam minime conferti quadrigarum impetum facile fugere possent. Horum igitur missilibus vulnerati et clamoribus perterriti equi incerto cursu huc illuc feruntur, auctoque clamore ac tumultu, medio inter duas acies campo exiguntur quadrigae, spatio ad justum proelium relicto. Hoc ubi vidit Eumenes, nudatum campum statim suis ac Romanorum equitibus implevit, quos contra oppositas Gallorum et Cappadocum copias incitavit. Tam vehemens eorum impetus fuit, ut non solum mercenarios milites, sed contiguos quoque equites et loricatos in fugam verterent, quorum magna caedes est facta. Ita media acies fere omnis a fronte prostrata est [1].

Haec dum geruntur, Antiochus sinistrum Romanorum cornu aggressus, multos equitum peditumque fugat, quibus ad castra fugientibus M. Aemilius cum praesidio omni occurrit eosque in pugnam redire jubet. His autem Attalus, Eumenis frater, a dextro cornu in tempore subsidio venit; quo factum est, ut Antiochus equitatum in fugam verterit, Romanis utroque cornu victoribus. Qui cum ad castra diripienda pergerent, Eumenis equites omnium primi fugientes hostes insecuti sunt.

Hac pugna de Antiochi exercitu quinquaginta millia peditum caesa dicuntur, equitum quatuor millia [2]; de Romanis trecenti tantum pedites, quatuor et viginti equites; de Eumenis

---

[1] Haec, quae apud Appianum Syr. 34 leguntur, perperam ad expeditionem contra Tolistoboios, quam Romani, victo demum Antiocho, susceperunt, refert V. D. Hisely in disp. de historia Cappadociae. Vid. Comm. Latin. Class. Tert. Inst. Reg. Belg. Vol. VI. p. 163.

[2] Alii *tria* millia. Qua de re vid. Drakenb. ad Liv. l. c., uti etiam Ann. Fab. et Verheyk ad Eutrop. IV. 4.

copiis quinque et viginti [1]. Antiochus autem in Lydiam fugit. Inde legatos misit Zeuxidem, qui praefectus Lydiae fuerat, et Antipatrum, fratris filium, pacem petentes. Hi, prius Eumenem convenerunt, quem propter vetera certamina aversum maxime a pace credebant esse, quo placatiore et sua et regis spe invento, tum P. Scipionem, et, per eum, consulem adierunt. Pax Antiocho concessa est. Inter paces conditiones haec quoque fuit, ut Eumeni redderentur quadringenta talenta, et quod frumenti reliquum ex eo, quod Attalo patri debitum erat [2].

Quum acciperent conditiones Antipater et Zeuxis, placuit omnibus Romam legatos mitti, qui Senatum populumque Romanum orarent, pacem ut comprobarent, quibuscum et Eumenes profectus est. Hunc, ubi Romam venit aestate A. U. C. 565, maximo honore excepit Senatus, principesque eum certatim amplexi sunt, uno Catone excepto, qui non dissimulavit, se suspectum eum habere atque aversari. Cui quum diceret quidam: »Atqui bonus est et populo Romano amicus." »Sit sane, (inquit) at hoc animal, rex, natura est carnivorum" [3]. Neque tamen Eumeni haec Catonis sententia nocuit. Illi omnium primum Senatus datus est. Ibi quum pauca quaedam locutus esset, gratias Patribus agens propter auxilium sibi datum, iisque de victoria ab Antiocho reportata gratulatus, de suis in remp. meritis nihil dicere se velle significavit, quippe quae ex imperatoribus suis satis cognoscerent. Cunctis talem modestiam approbantibus, nihilominus dicere jussus est, quid sibi tribui aequum censeret. Respondente vero Eumene, omnia se Senatus arbitrio permittere, ab utraque parte aliquamdiu certatum est,

---

1 Liv. XXXVII. 41, 42, 43. Cf. Appian. Syr. 33 sqq., Justin. XXXI. 8., Eutrop. IV. 4 ibique interpp., Flor. II. 8.

2 Liv. XXXVII. 45, Polyb. Exc. Leg. XXIV. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 171., Appian. Syr. 38.

3 Plut. in Cat. Maj. p. 340.

ita quidem ut rex etiam templo excesserit. Sed a praetore reductus aegre tandem permotus est, ut quae vellet, quaeque sentiret, palam faceret. Oratione habita, in qua suam Attalique patris fratrisque fidem commemoravit, modeste petivit, ut Romani, Antiocho ultra Taurum remoto, omnes eas terras, nisi ipsi tenere vellent, sibi traderent. Quod, quamvis repugnantibus Rhodiorum legatis, regi concessum est, ita tamen ut Lycia et Caria usque ad Maeandrum amnem Rhodiis daretur; eaeque Asiae civitates, quae Antiochi vectigales fuissent, liberae forent; ceterae, quae Attali stipendiariae fuissent, Eumeni quoque vectigal penderent: ad quas res disceptandas componendasque decem legati mitterentur [1].

Singulas urbes et regiones, quae Pergameno regi datae sunt, Livius et Polybius memoriae prodiderunt [2]. Perperam vero Cicero et Valerius Maximus ea omnia Attalo concessa referunt [3]. Eumenes hinc opulentissimus Asiae rex factus est, sed ipsum illud de Asia Senatus consultum, pace Antiocho data, magnis disceptationibus ansam dedit. Neque immerito Sevinus suspicatur Romanos aliquo modo inter Asiae reges et civitates discordiam alere voluisse [4].

---

[1] Liv. XXXVII. 52 sq., Polyb. Exc. Leg. XXV. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 188.

[2] Liv. XXXVII. 56, Polyb. l. c. Cf. et Justin. XXXI. 9, Eutrop. IV. 4, Cic. pro rege Dejot. c. 13.

[3] Vid. quae diximus infra Part. II. cap. 1.

[4] Apud. Sevin. p. 255, 256 haec leguntur: »Il estoit difficile que ce partage ne produisit souvent des sujets de division entre les deux Puissances. C'estoit vraysemblablement l'intention des Romains; il y alloit de leur gloire et de leur intérêt, de marquer de grands égards pour un Prince dont l'attachement à la République s'estoit signalé en tant d'occasions. Mais quelque confiance qu'eussent les Romains en l'amitié d'Eumenès, ils n'estoient pas fâchez que luy et ses voisins vécussent dans une espèce de mésintelligence. Leur union estoit infiniment à craindre, et le Sénat, qui en sentoit les conséquences, déclara que les villes Grecques, qui n'auroient point esté

Eodem anno, dum Eumenes adhuc Romae erat, Cn. Manlius in Gallograecia consul bellum gessit. Hujus enim populi animus et opes Romanis nimis crescere videbantur. Et sane cum Antiocho auxilium tulissent, metuendum erat, ne Eumenis ditionem, Syriae parte auctam, lacesserent. Consul igitur, ubi initio veris Ephesum venerat, dolebat Eumenem abesse, quippe qui loca hominesque optime nosset; ideoque Attalum Pergamo arcessivit, commonuitque, ut secum bellum gereret. Paucis diebus interjectis, hic cum mille peditibus, ducentis equitibus consuli ad Magnesiam occurrit, Pergami custodia interim Athenaeo fratri data: qui et ipse postea novas copias adduxit. Seleucus quoque, Antiochi filius, in consulis castra venit, ut ex pacto frumentum exercitui daret. Tum vero patuit, quam infesto animo Syri erga Pergamenos essent. Namque Antiochum tantum Romanis militibus, non Attali auxiliaribus frumentum debere Seleucus praetendit. Quam disceptationem Manlius graviter indignatus diremit edicendo, ne Romani milites frumentum acciperent, priusquam Attali copiae accepissent [1].

Galatiam ingressis Romanis, Manlius milites hortatus est, ut strenue pugnarent, in oratione etiam mentionem faciens superioris Attali, qui Gallos, omnium, quae Asiam incolunt, gentium fortissimos, saepius vicisset [2]. In hac expeditione Attalus, Eumenis frater, fere nunquam a latere consulis discessit. Nam et in exploranda natura locorum, et in hostibus circumeundis Manlius juvenem secum esse jussit [3]. Proelio commisso adversus Gallos Tolistoboios in Olympo monte, velites Romani et ab

»tributaires d'Attalus, et celles qui ne seroient entrées dans aucun engagement avec »les Syriens, recouvreroient leur ancienne liberté. Plusieurs Colonies, a la faveur de ce »décret, se trouvoient affranchies de la domination du Roy de Pergame; et il n'est pas »douteux, que la plûpart, en cas de rupture, ne se fussent jointes a ceux, qui les »avoient délivrez du joug de l'esclavage."

1 Liv. XXXVIII. 12, 13. 2 Liv. XXXVIII. 17. 3 Liv. XXXVIII. 20.

Attalo Cretenses sagittarii et Tralli Thraces primum impetum faciunt [1]. Hostibus vero fusis fugatisque, et castris captis atque direptis, laudati pro concione omnes sunt milites, donatique pro merito quisque. Neque vero quisquam magis quam Attalus; quod tamen nullam invidiam movit: omnes enim praeclaram juvenis virtutem in periculis, industriam in laboribus, modestiam in rebus bene gestis, probe cognoverant [2].

Attali quoque auxilio Manlius usus est in bello cum Gallis Tectosagis. Hunc enim sibi maxime fidum juvenem in colloquium cum principibus ejus gentis misit. Trecentos equites Attalus praesidii causa cum adduxisset, jactatae sunt pacis conditiones. Cum vero, absentibus ducibus, de summa rerum nihil constitui posset, inter eos convenit, uti consul regesque eo loco postero die congrederentur. Ibi autem cum Gallorum fraus apparuisset, consul, fortuna magis, quam prudenti consilio usus, insidias non tantum effugit, sed et aggredientes Gallos penitus fudit fugavitque [3].

Anno U. C. 566, ineunte jam aestate [4], decem Romanorum legati et rex Eumenes Ephesum appulerunt: ubi quum e nausea biduum se refecissent, Apameam ascenderunt. Proconsul, qui tum Pergae in Pamphylia degebat, audito eorum adventu, jussis sequi Antiochi legatis, Apameam exercitum reduxit, ut quam primum Eumenem conveniret. Invento ibi rege cum decem legatis, de iis, quae agenda essent, consultabat. Primum igitur placuit ipsis ictum cum Antiocho foedus pacemque confirmare, de qua disceptare amplius nihil attineret, cum ex scriptis legibus esset transigendum. Foederis formulam Poly-

---

1 Liv. XXXVIII. 21. 2 Liv. XXXVIII. 23.

3 Liv. XXXVIII. 24, Polyb. Exc. Leg. XXXIV, ed. Schweigh. Tom. IV. p. 226 sqq. Appian. Syriac. 43.

4 Ita diserte Polyb. Exc. Leg. XXXV. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 233. ἤδη τῆς θερείας ἐναρχομένης. Perperam Sevinus p. 253 eum ineunte hyeme Ephesum appulisse tradit.

bius et Livius nobis servarunt. Conditiones, quae Eumenem spectabant, in primis duae erant: altera, ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis Antiochus reciperet; altera, ut Eumeni regi talenta trecenta quinquaginta intra quinquennium daret, et pro frumento, quod aestimatione fieret, talenta centum viginti septem [1].

Manlii et decem legatorum in Eumenem benevolentia magna fuit. Quum enim proconsul inter cetera, quae accipienda ab Antiocho erant, elephantos quoque accepisset, dono Eumeni omnes dedit. Ariarathi quoque, Cappadociae regi, qui Eumeni filiam suam desponderat, pecuniae imperatae dimidia pars remissa et amicitia data est [2]. Civitatibus autem constitutis,

---

[1] Ita Livius Lib. XXXVIII. cap. 38. Ex qua computatione Eumeni 477 talenta data sunt. Polybius autem in Exc. Leg. XXXV ed. Schweigh. Tom. IV. p. 234 sqq. Eumeni 359 et pro frumento 127 talenta et drachmas 1208 accepta refert. Sevinus p. 258, utrumque auctorem citans, 476 talenta data refert.

[2] Eumenis nuptiae cum Stratonice, Ariarathis regis filia, celebratae videntur fuisse quo tempore Manlius adhuc in Asia degebat. De moribus hujus mulieris ita Sevinus p. 259: »A en juger par un texte d'Athénée (p. 689), elle renchérit sur le luxe des »autres Reines de l'Asie, du moins il rapporte qu'elle fit monter à un prix excessif »certaine espèce da parfum, dont les fleurs da la vigne sauvaga estoient la base prin»cipale." Ariarathi sexcenta talenta imperata fuisse diserte tradunt Polyb. Exc. Leg. XXXV. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 231 et Liv. XXXVIII. 37. Apud hunc tamen olim legebatur *ducenta*, sed Drakenborchius recte ex cod. Mogunt. *sexcenta* restituit. Signa enim CC et DC facile commutari potuerunt. Appianus quidem Syriac. c. 42 ducenta talenta ab Ariarathe ad Manlium missa refert; sed, ut ipse ait, id factum est, ut Manlius a Cappadociae finibus abstineret. Cujus rei mentionem faciens V. D. Hisely in disp. de hist. Cappad. p. 164, citato Appiani loco, haec addit: »quod verum esse »potest; quippe Romani dimidiam partem imperatae pecuniae ei remiserunt, ut adeo »C talenta essent solvenda." Quae verba me non satis intelligere fateor. Dimidiam enim imperatae pecuniae partem trecenta talenta fuisse cum ex omnibus aliis, tum ex ipsius Viri Doctissimi verbis apparet; quae et Manlio soluta sunt, ut patet ex Polyb. fragm. apud Schweigb. Tom. V. p. 48. Tum vero Appianus diserte tradit ducenta talenta missa fuisse (*διακόσια τάλαντα πέμψαντος*); neque verosimile est hujus quoque pecuniae aliquid remissum aut restitutum. Manlius enim ad Hellespontum rediit *σὺν γάζῃ τε πολλῇ*

Eumeni urbes et terrae, ex Senatus consulto ei designatae, a legatis adjectae sunt. De Pamphylia vero disceptatio cum orta fuisset, rem integram ad Senatum referre visum fuit [1]. His rebus ita ordinatis, consul Gallis denunciavit, ut suae ditionis terminis se continerent. Tum vero navibus, quas undique contraxit, et inter quas etiam Eumenis classis fuit, per Athenaeum, regis fratrem, ab Elaea adducta, Asiam reliquit, omnesque suas copias trajecit [2].

Haud diu postquam Romani ex Asia discesserant, Antiochus et Eumenes bellum renovarunt. Quod bellum a Phylarcho descriptum fuisse Suidas memoriae prodidit [3]. Neque aliud quidquam de eo ad nos pervenit, nisi quod Valerius Antias, Livio teste, L. Scipionem in Asiam legatum missum refert ad dirimenda inter Antiochum et Eumenem reges certamina [4].

καὶ χρήμασιν ἀπείροις, καὶ λείᾳ βαρυτάτῃ καὶ στρατῷ καταγόμῳ. Vid. App. l. c. Itaque Romanis propter auxilium Antiocho praestitum trecenta talenta Ariarathes solvisse videtur. Praeterea vero ipsi Manlio ducenta alia, ne hostili modo ex Cappadocia praedam ageret. Alio modo rem expedire conatur Drakenborchius ad Liv. l. l., qui Manlium pacis causa sexcenta talenta Ariarathi imperasse arbitratur, eumque illius pecuniae ducenta praesentia adnumerasse, ac promisisse se reliqua, cum ex civibus redegisset, soluturum, atque ita Manlium destitisse. Ceterum Ariarathes in numis sese propter remissam pecuniae partem *ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ* appellavisse censet Spanhemius Diss. VII. de usu et praest. num., eumque secutus est Wesseling. ad Simson. Chron. ann. 3817, quam sententiam egregie refellit Hisely disp. laud. p. 169.

1 Liv. XXXVIII. 39.

2 Liv. XXXVIII. 40.

3 Suid. Tom. III. p. 643.

4 Liv. XXXIX. 22. Hac de re ita Sevinus p. 259: »C'est dommage, que les »ouvrages de Phylarque ne subsistent plus aujourd'huy. Celuy dans lequel estoient »décrites les guerres d'Eumenés et d'Antiochus, répandroit un grand jour sur l'histoire »de ce siècle-là, et on seroit bien plus à portée de développer les causes des démêlez »qui s'élévèrent entre Eumenès et Prusias. Il y a beaucoup d'apparence, que la »puissance du Roy de Pergame, l'enlèvement de la Mysie et les conseils d'Annibal, »concoururent également à allumer le feu de la discorde. Ce Général détestoit les

Prusias quoque, Bithyniae rex, Hannibale adhortante, Eumeni bellum intulit [1]. Pergameni regis milites virtute et disciplina militari spectabiles erant. Eumenes enim et cunctis magna stipendia, et strenue pugnantibus lauta praemia dare solebat [2]. Attamen Hannibalis consilio Prusias saepius superior discessit. Intelligebat autem Hannibal Eumenem, sociis Romanis, terra marique superiorem esse; eoque remoto bellum Prusiae facilius ad gerendum fore putabat. Itaque Pergamenum regem interficere studuit, cujus etiam fides erga Romanos Poeno quam maxime erat invisa [3]. Quod ut perficeret, strategemate usus est, a veteribus scriptoribus valde celebrato. Nam cum pugna navalis committenda esset, seque navibus ab hoste superari Hannibal videret, suis imperavit, ut omnes simul undique in Eumenis navem impetum facerent, quam ut cognoscerent tabellarium ad regem misit, quasi de pace agere vellet. Incepto vero proelio, cum Bithyni Eumenis navem adorti premerent, Hannibalis jussu, vasa fictilia, in quibus venenatas serpentes vivas collegerat, in reliquas Pergamenorum naves conjecta sunt. Quibus nova re perterritis et puppes avertentibus, Eumenes periculum vix effugit, suamque salutem praesidiis in litore positis debuit [4].

Prusiae adversus Eumenem bellum gerenti auxilia misit Philippus, Macedonum rex, qua de re Eumenes Athenaeum fratrem Romam legatum misit [5]. Senatus eum ante omnes alios

»Romains et Eumenès par contrecoup. Son attachement à la République le luy avoit »rendu odieux, et il trouvoit un plaisir secret à luy susciter des ennemis, et à former »des ligues, qui le conduisissent à sa perte."

1 Vid. Observ. chron. VIII.

2 Diod. Sic. Exc. p. 319. Cf. Sevin. p. 260.

3 Cf. Sevin. l. c.

4 Nep. vit. Hann. c. 10, 11. Cf. Justin. XXXII, 4. Galen. XIII. p. 936, Front. Strat. p. 381, Sevin. p. 260, 261.

5 Liv. XXXIX. 46.

legatos vocavit et, accepta corona, quam attulerat, aureorum quindecies mille, ita respondit, ut verbis magnificis Eumenem et ejus fratres laudaret: rogavit etiam hunc animum ut servarent [1]. T. Quinctius Flamininus a Senatu ad Prusiam legatus missus est, ut lites inter Prusiam et Eumenem dirimeret [2]. Seleucum etiam, qui patri Antiocho in Syriae regno successerat, Prusiae contra Eumenem opem tulisse verosimile est [3]. Bithynorum rex Romanis morem gessit, ac non modo bellum cum Eumene composuit, sed etiam per summam perfidiam Hannibalem prodidit [4].

Non multo post Pharnaces, Ponti rex, Eumeni bellum intulit. Sinopen, quam urbem Romani liberam esse jusserant, captam diruit, qua de re Eumenes et Rhodii ad Senatum questi sunt. Pharnaces quoque legatos Romam misit. Responsum est a Patribus se legatos in Asiam missuros, qui rem cognoscerent [5]. Interim Pharnaces, quasi nihil a Romanis sibi

---

1 Polyb. Exc. Leg. XLVI. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 285.

2 Liv. XXXIX. 51, Polyb. Exc. Leg. XLVII. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 296.

3 Polybius l. c. Flamininum ad Prusiam et Seleucum missum scribit: ad quem locum Sevinus p. 262 haec animadvertit: »Il se pourroit bien faire, que dans le »texte de Polybe le nom de Seleucus eût pris la place de celuy d'Eumenès; c'est une »conjecture néantmoins sur laquelle je n'oserois pas trop appuyer. Il ne seroit pas »impossible que le Roy de Syrie fût entré dans les demêlez des deux Souverains dont »les provinces estoient limitrophes aux siennes, et je soupçonnerois plutôt que le nom »d'Eumenès a esté obmis par les copistes." Equidem in Polybii loco neque aliquid a librariis omissum, neque mutatum censeo. Non enim necesse erat Eumenis nomen addere, cujus querelam Senatus per Athenaeum fratrem audiverat. Livius quoque simpliciter ait Flamininum ad Prusiam regem legatum missum esse.

4 Liv. l. c., Nep. vit. Hann. c. 12.

5 Strab. Lib. XVII. p. 821, Liv. XL. 2. Jam antea Marcius et alii legati a Senatu missi erant ad cognoscendum de bello inter Eumenem et Pharnacem, qui moderationem Eumenis in omnibus rebus, Pharnacis vero avaritiam et ingentem superbiam pluribus exposuerunt. Vid. Polyb. Exc. Leg. LIII. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 317. Cf. Liv. l. c.

metuendum foret, hiemis tempore Galatiam devastavit [1]. Leocritus, quem cum decem millibus militum illuc miserat, Teium quoque, Eumeni subditam urbem, aggressus est. Tradita urbs est ea lege, ut militibus non in captivitatem abductis, vita et arma relinquerentur; sed postquam se dediderant, omnes summa perfidia, Pharnacis jussu, a Leocrito sunt interfecti [2].

Ita lacessitus Eumenes tamen, quamdiu potuit, armis abstinuit. Sed cum Pharnaces, ineunte sequentis anni vere exercitum contraxisset, tanquam Cappadociam invasurus, ipse etiam copias coëgit, et cum Attalo fratre, Roma reverso, castra movit. Leocritum frustra persecutus, spretis Gallorum legationibus, pacem petentibus, contra Pharnacem profectus est. Ariarathes quoque Cappadocum rex, ei se conjunxit; ambo in Amiseno agro castra posuerunt. Interim legati Romani veniunt. Quod ubi audivit Eumenes, statim ad illos excipiendos Attalum fratrem mittit; ipse autem exercitum suum novis copiis auget et ornat; ut ita legatis ostenderet, quanti Romanorum arbitrium faceret, quamvis sibi ipse sufficeret ad Pharnacis injuriam vindicandam. Sed Romani, ut potentes arbitri in tali re facere solent, Eumenem et Ariarathem hortantur, ut belli finem faciant, qui id non recusarunt, sed petiverunt, ut Pharnaces in concilio, quod haberetur, ipse praesens adesset, quo magis de ejus perfidia judicari posset. Legati omnia aequa se facturos promittunt, simulque petunt, ut exercitus ex hostili agro deducatur. Postridie igitur Eumenes castra movit et in Galatiam exercitum duxit.

Hinc legati Pharnacem adeunt eumque admonent, ut cum Eumene in colloquium veniat. Quod cum Pharnaces negaret, Romani facile intellexerunt, injuriam ab eo fuisse illatam.

---

[1] Vid. Observ. chron. IX.

[2] Diod. Sic. p. 376. Cf. Sevin. p. 205.

Cum vero pacem fieri vehementer cuperent, ei persuaserunt, ut legatos mitteret. Concilio habito, Romanis satis apparuit, quam proclivis ad pacem Eumenes esset; sed frustra Pharnacis legatos ad aequas conditiones perducere conati sunt. Itaque infecta re domum redierunt.

Denuo Eumenes omnia ad bellum apparare coepit. Interim Rhodii ad eum mittunt petentes, ut bellum contra Lycios administret. Quo celeriter peracto, Pergamum revertitur, ibique gravi morbo implicitus Attalum fratrem exercitui praefecit. Re bene gesta, Attalus et Ariarathes, pacis foedere cum Pharnace inito, suas quisque copias domum reduxerunt. Quid hoc foedere constitutum sit, non commemoratur, sed bellum non plane compositum fuisse apparet. Nam quamvis Eumenes, qui jam convaluerat, omnia, quae Attalus et Ariarathes fecissent, comprobasset, nihilominus fratres suos omnes Romam legatos mittere statuit, sperans fore ut ita facilius bello finis imponeretur; simul fratres suos et suis amicis et Senatui commendare cupiens. Hi juvenes Romae benigne excepti sunt cum ab illis, qui in Asia eorum virtutem bellicam et ingenuum animum cognoverant, tum a Senatu, qui hospitia et lautia iis decrevit. Attalus in Senatu, oratione habita, de Pharnace questus benignum responsum tulit. Dixerunt enim Patres, se legatos missuros, qui bellum componerent [1].

Jam rebus suis Pharnaces diffidere coepit. Cum vero Eumenem quoque belli taederet, utrinque saepius legatis missis, pax tandem ita convenit, ut Pharnaces Galatia et Paphlagonia abstineret, ademta loca et captivos restitueret, pecuniae nongenta talenta, et insuper Eumeni pro belli impensis trecenta talenta daret [2]. Hoc foedere comprehensi sunt etiam Artaxias,

[1] Polyb. Exc. Leg. LV et LVI. ed. Schweigh. Tom. IV. p. 322 sqq.

[2] Ceteras pacis conditiones habet Polyb. Exc. Leg. LIX, ed. Schweigh. Tom. IV. pag. 345 sqq.

Armeniae majoris partis regulus, et Acusilochus; item Gatabus Sarmata, et liberae civitates Heraclea, Mesembria, Chersonesus, Cyzicus. Flagrante bello Seleucus, Antiochi patris infortunium ulcisci cupiens, Pharnaci auxilium promiserat et cum exercitu ad Taurum montem processerat. Verum a legatis Romanorum foederis, inter Antiochum et Eumenem icti, admonitus, copias reduxit [1]. Prusias vero, Bithyniae rex, Eumeni opem tulisse videtur. Nam et ejus nomen, ut supra vidimus, in foedere memoratur, et Eumenes, Polybio teste, ei aliquanto post Teium oppidum dedit [2].

Pharnace devicto, Eumeni nihil amplius a finitimis regibus metuendum erat. Et suis opibus, et Romanorum societate omnium potentissimus erat, et in Asiaticis rebus discernendis plurimum valebat. Id quod etiam patuit quo tempore Seleucus, Syriae rex, Heliodori cujusdam insidiis interfectus est. Hunc enim, regnum vi occupare conantem, Eumenes et Attalus expulerunt, Antiochumque, Seleuci fratrem, postea Epiphanem dictum, in possessionem regni deduxerunt. Sunt qui putent, Eumenem societatem et amicitiam cum Antiocho iniisse, quoniam jam id temporis propter quasdam offensiones Romanos suspectos habebat [3].

Supra vidimus Rhodios, aeque atque Eumenem, de Sinopensium clade et Pharnacis crudelitate apud Romanos questos fuisse, eosque ab Eumene contra Lycios auxilia accepisse. Nihilominus in bello, quod inter Eumenem et Pharnacem fuit, sive

---

1 Diod. Sic. p. 312. Cf. Hist. Univ. a societate virorum doctorum in Anglia edita, Gallica versione Tom. II. p. 568.

2 Polyb. l. c. Cf. Sevin. p. 265.

3 Ita Appianus Syriac. Cap. 45. ἀπὸ γάρ τινων προςκρουμάτων ἤδη καὶ οἵδε (Eumenes et Attalus) Ῥωμαίους ὑπεβλέποντο. Verosimile est Eumenem, hac societata cum Antiocho Epiphane inita, sibi cavere voluisse, si quando amicitis cum Romanis rupta foret.

Pontici regis pollicitis adducti, sive insignem Eumenis potentiam suspectam habentes, haud steterunt cum Pergamenis. Nam Hellesponti fretum suis navibus obsidente Eumene, ne cui navi in Pontum transitus pateret, Rhodii se opposuerunt, et conatum ipsius impedierunt. Hanc injuriam ulcisci cupiens Eumenes castella quaedam et Peracam regionem, quae Rhodiorum erat, aggressus est. Qua de re Rhodii legatos Romam miserunt, neque tamen quicquam contra Eumenem efficere potuerunt.

Interim Romanis imminebat bellum Macedonicum, ad quod gerendum Philippus jam extremo vitae tempore se paraverat. Hujus filius Perseus, qui patrem in regno exceperat, idem cogitatum in animo volvens, specie oraculum aditurus Delphos ascendit: revera autem Graecas civitates sibi conciliare studebat; quarum pleraeque Perseo magis quam Eumeni favebant, etsi huic multis beneficiis erant obstrictae. Miratur Livius Graecorum animos ad favorem hominis fuisse inclinatos, qui uxorem manu sua occidisset, multisque aliis caedibus infamis esset, cum Eumenes contra ita se in regno suo gereret, ut, quae sub ditione ejus, urbes nullius liberae civitatis fortunam secum mutatam vellent. Cujus rei causam fuisse suspicatur, vel novarum rerum cupiditatem, quod fama et majestate Macedonum regum praeoccupati erant ad spernendam originem novi regni, vel quia Perseum objectum esse Romanis volebant [1]. Sevinus etiam eam Graecorum in Macedones benevolentiam non adeo mirandam censet, tum quia Perseus, Alexandri Magni successor, tanquam Graecus origine habebatur, tum quia Graeciae civitates a nimia Romanorum potentia sibi metuebant [2]. Mihi

[1] Liv. XLII. 5.

[2] Sevinus p. 267, cujus argumentatio haec est: »A examiner les choses de près, »la prédilection des Grecs n'a rien de bien extraordinaire: ils réputoient Eumenès »étranger en quelque façon. Perseé estoit Grec naturel, tous ses ancêtres l'avoient

vero non adeo Romanorum, quam ipsius Persei, metu Graeci Macedonum partes secuti videntur. Hujus enim regnum sibi finitimum habebant. Jam Philippi tempore experti erant, quid sibi ab ira vicini regis metuendum esset. Tum vero Perseus ipse Graecas civitates circumibat, quae si societatem cum eo recusarent, ultio parata erat, dum Romani et Eumenes procul aberant. Haec igitur sufficiebant ad Graecorum animos ab Eumene ad Perseum avertendos.

Eumenes autem sua interesse putabat ipsum Romam adire; itaque eo iter fecit A. U. C. 582 [1]. Summo honore exceptus et in Senatum admissus est, ubi orationem habuit, qua Persei hostilem animum, ingentes opes, magnamque in Graeciae atque Asiae civitatibus gratiam luculenter exposuit, Patresque hortatus est, ut sibi ab eo caverent. Senatus ejus verbis commotus curavit, ne palam fieret quid rex dixisset, quidque responsum esset; id quod perfecto demum bello emanavit. Persei quoque legati

---

»esté, et il remplissoit le trône d'Alexandre, dont la mémoire estoit chère à la Grèce; »ses exploits avoient porté au plus haut point la gloire de la Nation. De semblables »idées flattoient agréablement leur vanité, et il estoit difficile, qu'un secret penchant »ne les entraînat du côté de Persée. Ils concevoient encore que le Royaume de Macé»doine une fois détruit, les Romains commanderoient en maîtres, et que les autres »États desormais, dans l'impuissance de résister, subiroient tour à tour le joug d'un »honteux esclavage. Quelque sensible que fut cette dernière réflexion, Eumenès ne la »fit pas, ou du moins il ne sçut pas sacrifier à sa propre sûreté, le désir de se venger »de Persée. La haine des pères avoit passé jusqu'aux enfants. Le Roy de Pergame »contre les règles de la saine politique, vouloit absolument perdre un ennemi, dont il »appréhendoit le ressentiment. Les espions, qu'il entretenoit à la Cour de Macédoine »ne tardèrent pas à luy fournir les moyens de se satisfaire. Il reçut de leur part un »mémoire, qui contenoit en détail les preuves de la mauvaise volonté de Persée à »l'égard des Romains."

[1] Valerius Antias Attalum, Eumenis fratrem, hoc anno Romam legatum venisse scripsit, teste Livio XLII. 11. Hic autem aliorum annales secutus, quibus major fides habenda, ipsum Eumenem venisse merito refert.

paucis diebus post auditi sunt, quorum princeps Harpalus regem quidem nihil hostile fecisse ait, neque tamen bellum aversari, si Romanis id placeret. Quae ferocia animos, jam Eumenis oratione praeoccupatos, etiam magis contra Perseum exasperavit.

Reliqui, qui aderant hoc tempore Romae, legati (quos Graeciae et Asiae civitates miserant ad Eumenem observandum) quid ageretur incerti erant, plerique clam Perseo faventes. Rhodii vero palam Eumenem accusarunt, quasi Lycios ad bellum concitasset, Asiaeque gravior, quam antea Antiochus, esset. Quae criminatio Eumeni non nocuit, imo majorem ei favorem conciliavit. Summi honores ei sunt habiti et, praeter alia amplissima dona, sella quoque curulis cum eburneo scipione regi concessa est [1].

Perseus, cum haec audivisset, Eumeni quam maxime infestus erat, eumque interficere cupiens latrones subornavit, qui regi Delphos ad sacrificandum Apollini proficiscenti insidias struerent. Semita erat angusta, qua singulis eundum erat. Ibi post maceriam insidiatores se abdiderunt, et in praetereuntem regem duo ingentia saxa devolvunt, quorum altero caput regi percussum est, altero humerus sopitus. Aliis quoque multis in prolapsum regem saxis congestis, latrones, quasi perfecta re, discesserunt adeo celeri fuga, ut cum unus eorum non facile sequeretur, a comitibus, ne comprehensus rem proderet, occisus sit.

Primo impetu ceteri quidem Eumenis amici et satellites diffugerunt, Pantaleon autem, Aetoliae princeps, constanter ei adhaesit, regemque cadentem protegere conatus est. Quod ubi reliqui viderunt, mox recurrunt, corpusque regis nihil sentientis humeris subjectis tollunt. Quidam etiam frustra latrones persecuti sunt. Vitae spes exigua, imo fere nulla, ostendebatur. Attamen postridie jam sui compos erat. Ab amicis navi Corin-

---

1 Liv. XLII. 11. sqq.

thum, et hinc Aeginam transvectus est, ubi dum vires reciperet, nemo ad eum admittebatur. Quo factum est, ut et Romam, et in Asiam fama de regis morte perveniret. Attalus quoque nimis celeriter ei credidit, et de suscipiendo regno cum fratris uxore et arcis praefecto locutus est. Imo, Plutarcho ac Diodoro testibus, non modo rex creatus et diademate ornatus fuit, sed etiam uxorem fratris Stratonicen duxit, cumque ea concubuit. Ubi vero nunciatum est Eumenem vivere et Pergamum redire, posito diademate, hastam solito more sumsit, fratrique cum reliquis stipatoribus occurrit. Eumenes eum amice amplexus reginam quoque honorifice salutavit. Addit Livius Eumenem, quamquam dissimulare et tacite habere id patique statuerat, non temperavisse, quin uxoris petendae praematuram festinationem fratri objiceret. Concordia fratrum nihil hac re labefacta est [1].

Legati ad Eumenem Roma venerunt, qui regi gratularentur, quod e tanto periculo evasisset. Odio vero in Perseum quam maxime aucto, Eumenes summa vi bellum paravit, quod tamen in proximum annum dilatum est [2].

Sequenti igitur anno, U. C. 583, Licinius consul, cui Macedonia provincia sorte data erat, Thessaliam invasit, et, complu-

---

[1] Liv. XLII. 15, 16, Plut. de frat. am. II. p. 489, Diod. Exc. p. 306. Merito haec Eumenis benevolentia in fratrem laudatur, sive revera Attalus ejus uxorem duxit, sive tantum de nuptiis locutus est. Qua de re ita Sevinus p. 270, 271: »On ne »sçauroit nier que tant de modération ne soit digne des plus grands éloges. Les Prin»ces les plus sages pardonnent quelquefois les offenses, rarement ils les oublient. Les »récits de Diodore et de Plutarque sont ceux qui font le plus d'honneur à la vertu »d'Eumenès. Je ne voudrois pas néantmoins garantir la vérité de ce qu'ils avancent »ici. Tite-Live dans les endroits qui ont rapport à l'histoire de ces temps-là copie »d'ordinaire Polybe, et ce judicieux Ecrivain estoit plus à portée que personne d'é»claircir un fait dont les moindres particularitez méritoient d'estre transmises à la »posterité."

[2] Liv. XLII. 18.

ribus oppidis captis, super Peneum amnem castra posuit. Eumenes, ne bello deesset, Pergamum Philetaero, qui fratrum natu minimus erat, tutandum reliquit; ipse cum Attalo atque Athenaeo classe Chalcidem venit, ubi duo millia peditum, Athenaeo duce, relicta sunt. Rex et Attalus cum quatuor millibus peditum, mille equitum, ad consulem se contulerunt [1].

In Licinii castris, dum, Eumene et Attalo praesentibus, agebatur, unde belli initium foret, consultantibus nunciatum est Perseum cum magno exercitu adesse. Armis igitur extemplo captis, centum equites cum pari numero jaculatorum peditum ex Eumenis auxiliis praemittuntur. Hi Galli mercenarii fuisse videntur, nam Cassignatus, Gallorum dux, cum triginta aliis occidisse dicitur. Acriter pugnatum est, sed, nemine subveniente, victoria incerta fuit [2].

Insequentibus diebus Perseus frustra Romanos ad pugnam elicere conatus est. Itaque castra propius hostem movit. Utrinque acie instructa, Eumenes rex Attalusque cum omni manu sua a tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt. Par ferme utrinque numerus equitum ac levis armaturae militum concurrerunt, quo certamine Perseus superior fuit. Attamen, re bene gesta, eo die quiescendum esse censuit, quod Romanis saluti fuit, qui, animo propter rem male gestam demisso, non sine causa metuebant, ne hostis statim castra aggrederetur. In tali periculo cunctis metu fluctuantibus, unus Eumenes fuit, qui recta consilia dedit. Nam ubi hostis cunctabatur, consuli suasit, ut castra trans Peneum amnem transferret; ut fluvio interposito milites animum reciperent. Invitus, quia timorem fatebatur, consul regi morem gessit, noctuque copiis traductis, castra in ulteriore ripa communiit. Hoc Eumenis consilium Romanum exercitum servavit. Perseum, ubi postero die trans amnem in

[1] Liv. XLII. 55.

[2] Liv. XLII. 57.

tuto posita castra animadvertit, frustra poenituit, quod pridie non instituisset victis [1].

Haud multo post iterum proelium commissum est, in quo consulis latera tegebant Eumenes, Attalus et Misagenes, regulus Numidarum [2]. Fortuna Romanis melius favente, Perseus pellitur et in Macedoniam redit. Consul in hiberna se confert. Eumenes et Attalus domum remittuntur [3].

Nemini dubium esse potest, magna de re publica Romana Eumenis merita hoc bello fuisse. Neque tantum ipse cum Attalo fratre consuli opem tulit, sed et Atlesbim, Thracum regulum, incitavit, qui cum Corrago, Eumenis praefecto, in Cotyis, item Thracum reguli, fines impetum faceret. Cotys, cujus virtuti Perseus magnam partem rerum prospere gestarum debebat, ad sua tuenda in Thraciam rediit. Quo auxilio privatus Perseus non amplius cum Romanis proelium committere est ausus [4].

Sequenti anno U. C. 584, A. Hostilio A. Atilio Coss., Eumenes cum L. Hortensio praetore Abderam, Thraciae urbem, obsedisse videtur [5].

---

1 Liv. XLII. 60.

2 Ita Livius l. c., quapropter nescio, cur Sevinus p. 272 ab hoc auctore Attali tantum, non vero Eumenis mentionem esse factam contendat.

3 Liv. XLII. 66, 67. 4 Liv. l. c.

5 Hoc ita factum recte e Liv. XLIII. 6 et Diod. Exc. p. 309 conjecit Sevinus p. 272, qui ita ait: »on lit dans le premier de ces Auteurs, que les Abdéritains se plaignirent »au Sénat de l'injustice du Préteur, qui sans aucun sujet s'estoit emparé de leur patrie »et y avoit exercé des cruautés inouies: et le second assûre que cette place fut prise »par Eumenès. Le siége devenoit tous les jours plus difficile, et peut-estre que ce »Prince auroit esté contraint de le lever, sans la trahison de Python. On luy avoit confié »un poste d'où dépendoit le salut d'Abdère, et il le gardoit avec deux cens hommes, »tous ses esclaves ou ses affranchis. La grandeur des promesses qu'on luy fit de la part »du Roy séduisit ce perfide, et il livra la place. Le mépris, avec lequel on le traita, »le mit au désespoir, et le désespoir le conduisit au tombeau."

Interim Attalus, qui cum consule Elatiae hibernabat, Eumeni fratri statuas, imagines, ceterosque honores, quos Peloponnesi civitates ei tribuerant, sed postea communi decreto sustulerant, restituere conatus est. Jam aliquot annis ante simultates inter Eumenem et Achaeos ortae erant [1]. His enim rex per legatos in concilio Megalopoli habito centum et viginti talenta obtulerat, ea lege, ut inde qui ad publicum concilium convenissent alerentur. Simul quoque petiit, ut secum societatem renovarent, quam cum Attalo patre habuissent. Quamvis pecunia oblata multis blandiretur, Apollonidas Sicyonius et Casander Aegineta, largitionem nonnisi escam esse ad animos corrumpendos, quin et Aeginam urbem potius Achaeis restituendam esse dicentes, effecerunt, ut non tantum pecuniam recusarent, sed Eumenem etiam propter hanc rem odio haberent.

His igitur dissensionibus finem facere cupiens Attalus Archonem, Achaeorum praetorem, et Polybium, equitum praefectum, convenit, eorumque animum sibi conciliavit. Hi igitur, cum legati hac de re ab Attalo ad proximum Achaeorum concilium missi essent, quamvis multis contradicentibus, effecerunt, ut decretum fieret, quo juberentur magistratus omnia, quae Eumenis honorem spectarent, instaurare, praeter ea, quae Achaeis dedecori essent, aut legibus repugnarent. Ita Attalus rem in integrum restituit, suumque in Eumenem fratrem amorem ac pietatem cunctis palam fecit [2].

Jam vero Eumenis fides Romanis in suspicionem venit. Scilicet principio veris anni U. C. 585 ad Macedonicum bellum profectus est Q. Marcius Philippus consul, ut et C. Marcius Figulus praetor, cui classis provincia evenerat. Huic Eumenes cum viginti tectis navibus ad agrum Pallenensem obviam venit, cumque eo Cassandream et Demetriadem oppugnavit. Hic fama

---

[1] Vid. Observ. chron. X.

[2] Polyb. XXIII. 8, XXVII. 7 et 10.

fuit, Eumenem clam cum Perseo de pacis conditionibus agere, quin et Valerius Antias eum ne classe quidem praetorem adjuvisse tradit. Ut ut est, infecta re urbem reliquerunt. Eumenes vero, postquam ad consulem navigarat, eique de adventu gratulatus erat, domum abiit. Idem Valerius Antias addit regem indignatum fuisse, quod consul non permisisset, ut iisdem castris tenderet; quam ob rem etiam Gallos equites consuli roganti cedere noluerit, cum in Asiam proficisceretur. Romae quoque Eumenis fidem dubiam, Attali vero egregiam et sinceram fuisse a legatis, ex Macedonia redeuntibus, nunciatum est.

Ex intimis Eumenis erat Cydas Cretensis, qui saepius cum Persei ducibus colloquia habuit. Hujus quoque legatus Cryphon aliquoties Pergamum missus est. Hinc Eumenes magis magisque Romanis suspectus habebatur; inprimis cum Perseus A. U. C. 586, quo L. Aemilio Paulo iterum consuli Macedonia provincia data est, ad regem legatum misit, specie quidem ut captivi redimerentur, sed revera ut Eumenem in partes suas traheret. Quae tamen res, si Livio credendum est, Persei avaritia nullum exitum habuit. Eumenes, ut suspicionem evitaret, de captivis actum esse consulem certiorem fecit [1].

Paulo post Eumenes mari cladem passus est. Attalo enim in auxilium miserat aliquot equites Gallos, qui navibus, quas hippagogos vocant, transmittebantur. His Chium petentibus Antenor, Macedonum classis praefectus, in angusto freto, inter Erythrarum promontorium Chiumque, occurrit. Antĕnor enim et Calippus cum classe quadraginta lemborum a Perseo Tenedum missi erant, ut Macedonum frumentarias naves, per Cycladas insulas

---

[1] Liv. XLIV. 10 sqq. In tota vero Livii narratione invidia quaedam in Eumenem est conspicua, sive ipse regis dubiam fidem perosus, sive alios Eumeni infestos scriptores secutus fuerit.

sparsas, protegerent. Credebant Eumenis praefecti Romanos esse aut Attalum, aut ab Attalo missos, qui Pergamum peterent. Cum vero hostes esse animadverterent, neque resistendi ulla spes esset, fuga salutem quaesiverunt, aliis nando in Erythream, aliis navigando Chium contendentibus. Quod ubi viderunt Macedones, copiis in litore expositis, fugientes in via aut ante portum, quam clauserant, assecuti sunt. Octingenti fere Gallorum occisi, ducenti capti sunt. Equi partim undis mersi, partim nervis ab hoste succisis perierunt. Viginti eximia forma cum captivis Thessalonicam ducti sunt [1].

Forte ita evenit, ut Romanorum legati, Macedonum quadraginta lembi et Eumenis quinque naves quinqueremes ad Delum insulam simul convenissent. Omnes tamen propter loci sanctitatem a pugna et armis abstinuerunt. Mox vero Antenor inde in altum vela fecit, ut onerarias naves, nisi Macedoniam peterent, supprimeret aut spoliaret, quibus frustra Romani et Eumenis navales socii succurrere conati sunt [2].

Nihilominus Perseus, Romanis in Illyria rem bene gerentibus, Aemilii consulis et Octavii praetoris adventu spe dejectus est. A Romana quoque classe sibi metuebant, dum Eumenes et Athenagoras Thessalonicae praeerant, parvo quidem praesidio duorum millium cetratorum, unde tamen maritimae orae periculum imminebat [3]. Haec omnia Persei animo terrorem injiciebant, qui non multo post a consule magno proelio victus est captusque Romam deductus. Quoniam vero neque Romanorum res gestas enarrare, neque Aemilii laudes celebrare volumus, haec omnia praetermittimus. Videamus autem, qualem fructum Pergameni ex hac Romanorum victoria ceperint.

Inter legatos, qui post reportatam de Perseo victoriam Romam

[1] Liv. XLIV, 28. [2] Liv. XLIV. 28. [3] Liv. XLIV. 29.

venerunt, Attalus quoque fuit, qui A. U. C. 587, [1] ab Eumene fratre missus, eo profectus est. Duplex veniendi causa fuit, et ut Romanis de victoria gratularetur, et ut eorum auxilium contra Gallos imploraret, qui Adverta duce, Pergamenum regnum invasissent. Vix dici potest, quanta benignitate exceptus sit, cum Attalus pro certo amico, Eumenes neque Romanis neque Perseo fidus socius haberetur. Erant quoque inter principes Romae viros, qui Attalum incitarent, ut pro se magis quam pro fratre beneficia peteret. Fluctuantem Attalum Stratius medicus, quem Eumenes tanquam speculatorem cum fratre misisset, ne quid contra fidem regi debitam ageret, monuisse dicitur. Ostendit enim regnum sine fratrum concordia stare non posse; Attalum fere pro rege haberi, mox fratri successurum [2]; fore ut si Eumeni viventi regnum eriperet, propter impietatem omnibus invisus fieret; si partem tantummodo regni accepisset, ambo infirmi essent. Itaque exspectandum esse, donec sponte sua regnum ad eum perveniret, eoque magis quod illi ipsi principes, qui Eumeni infesti essent, Attali constantem fidem et pietatem laudarent [3].

His monitis Attalus obsecutus accusationem fratris omisit,

---

1 Vid. Observ. chron. XI.

2 Verba Livii XLV. 19 sunt: »quod haud ambiguum propediem regnaturum eum »infirmitate aetateque Eumenis esset, nullam stirpem liberûm habentis: (necdum enim »agnoverat eum, qui postea regnavit.)" In quibus Polybium XXX. 2. 6 secutus videtur, apud quem ita legitur: *»οὐδέπω γὰρ ἀναδεδειγμένος ἐτύγχανε κατὰ φύσιν »υἱὸς ὢν αὐτῷ, ὁ μετὰ διαδεξάμενος τὴν ἀρχήν."* Schweighaeuserus vertit: *»necdum enim tunc in lucem editus erat ille Eumenis filius, qui ei postea in regnum »successit."* Sed dubitari potest, utrum verbum *ἀποδεικνυσθαι* hoc sensu reperiatur. Illud certum mihi videtur: primo Attalum, quem Eumenes moriens filium infantem reliquerit, hoc tempore nondum natum fuisse: tum vero Livium Polybii verba male accepisse de Aristonico, adulterino Eumenis filio. Schweighaeuserum vero adeant qui plura velint.

3 Liv. XLV 19, Polyb. XXX. 1 sqq.

rogavitque, ut de Gallica defectione legati mitterentur: sibi tantum Aenum et Maroneam petivit. Sperabant Patres fore ut de regno dividendo separatim ageret, eumque summis honoribus muneribusque coluerunt, urbes quoque illas se daturos promiserunt. Ubi vero, Attalo urbem relinquente, spe frustrati erant, Aenum et Maroneam, illo nondum ex Italia profecto, liberas pronunciarunt. Ceterum legationem ad Gallograecos miserunt. Satis igitur manifestum est odium, quo Senatus Eumenem prosequeretur, multo majus quam Attali favorem fuisse [1].

Interim Athenaeus, Eumenis frater, L. Paulo Graeciam cum haud magno comitatu circumeunti adfuit. Rebus vero Macedoniae compositis, consul in Italiam, Athenaeus Pergamum rediit [2]. Mox etiam legati, qui ad bellum inter Gallos et regem Eumenem componendum missi erant, in Asiam pervenerunt. Induciae per hiemem factae sunt. Galli domum revertuntur. Eumenes jam antea Pergamum abierat, gravi morbo implicitus. Ineunte vere A. U. C. 588, cum vix convaluerat, domo exiit et exercitum ad Sardes contraxit, Gallis jam ad Synnada profectis. Legati, comitante Attalo, ad castra Gallorum se contulerunt, eaque intrarunt, relicto tamen Attalo, ne animi ex controversia irritarentur. Galli vero Romanis bellum deprecantibus ferox responsum dederunt. Addit Livius, qui nobis haec tradidit, mirum videri posse, inter opulentos reges Antiochum Ptolemaeumque tantum legatorum Romanorum verba valuisse, ut extemplo pacem facerent, apud Gallos nullius momenti fuisse [3]. At vero satis superque patet, Romanos de industria discordiam inter Gallos et Pergamenos aluisse, et specie magis, quam revera Eumenis rem agere et bellum componere voluisse. Quo magis autem miremur id Livium fu-

[1] Liv. XLV. 20, Polyb. l. c. [2] Liv. XLV. 27. [3] Liv. XLV. 34

gisse, faciunt Polybii verba, qui merito conjicit mandata, quae Senatus Licinio dederat, Pergamenis iniqua fuisse[1].

Eodem fere tempore[2] multo magis apparuit Patrum animos ab Eumene prorsus alienatos. Scilicet Prusias, Bithyniae rex, Romam venerat, specie quidem ut Romanis de victoria, quam a Macedonibus reportavissent, gratularetur, revera autem ut Eumeni, quantum fieri posset, noceret. Quo consilio Senatui adeo turpiter adulatus est, ut regiae dignitatis prorsus oblitus se etiam Romanorum libertum vocaret. Ab hoc sibi cavendum esse merito censebat Eumenes. Itaque ipse quoque in Italiam se contulit, ut Senatum sibi conciliaret. Qua de re Patres valde commoti sunt. Nam si regem eodem quo antea honore reciperent, ne odium, quod concepissent, palam facerent, contra rempublicam agere sibi videbantur. Sin autem ex animi sententia ei responderent, se ipsi imprudentiae condemnarent, qui talem hominem antea tanti fecissent. Huic igitur incommodo ut subveniretur, in commune lex lata est, ne cui regi Romam venire liceret. Itaque Brundusium, quo Eumenes appulerat, quaestor missus est, qui Senatus decretum afferens regi nunciaret, si quid Senatus auxilio ei opus esset, secum communicare vellet; sin minus, Italia quam primum excederet. Rex magno animo nihil sibi opus esse dixit, neque ullo alio verbo commutato Pergamum rediit.

Ita Eumenes, servilem Prusiae summissionem haud imitatus, revera regem se praestitit. Romani vero non tantum ita perfecerunt, ne Eumenes Romam veniret, sed etiam id, quod maxime cupiebant, sunt consecuti, ut regis socii ab eo alienarentur, Galli vero ad persequendum alacriores fierent. Nihilominus vero Eumenem contra hos rem bene gessisse facile inde colligimus, quod a Gallis haud multo post legati Romam

---

[1] Vid. Polyb. l. c. Cf. Sevin. p. 283. [2] Vid. Observ. chronol. XII.

sunt missi, quibus Patres permiserunt, suis ut legibus uterentur; ita tamen ut domi se continerent, neque fines suos cum armis egrederentur. Insignem hoc bello Gallorum fuisse crudelitatem, qui captivorum quosdam aetate et forma praestantes tanquam victimas diis immolarent, reliquos omnes telis obruerent, Polybius memoriae prodidit [1].

Bello Senatus jussu composito, Eumenes nihilo secius infesti in Romanos animi multa indicia dedit. Quam ob rem Pytho quidam a Prusia legatus missus est, qui Eumenem accusaret, quod Romanorum sociis obsistens eos, qui Romanis male vellent, adjuvaret, neque a Gallograecia abstineret, imo etiam Prusiae multa loca ademisset. Alii quoque ex Asiae civitatibus legati, Eumenem accusantes, initam ab eo societatem cum Antiocho significabant. Senatus vero, quamvis Eumeni atque Antiocho omnino diffidens, solita prudentia suam de regibus illis sententiam dissimulavit; interim vero Gallos in libertate vindicanda clam adjuvit [2].

Jam antea Romani, Antiochum novas res moliri suspicati, Tiberium Gracchum legatum in Asiam miserant ad explorandum ibi rerum statum. Rex vero adeo callide mentem suam occultavit, ut legatus Romam reversus nihil quidquam certius de Eumenis et Antiochi consiliis attulerit [3].

Prusias autem non tantum ipse Eumenem et Attalum Romae accusavit, sed etiam alios Asiae populos, in primis Gallos ac Selgenses, ut idem facerent, stimulavit. Quorum criminationibus ut responderet Eumenes rex Attalum et Athenaeum fratres Romam misit. Hi magna eloquentia regem defenderunt, adeo quidem ut crimina diluerint, honoribusque aucti sint. Neque tamen suspicionem dimoverunt. Itaque Senatus legatos misit,

---

1 Polyb. XXX. 16 sqq. XXXI. 2. Cf. Epit. Liv. XLVI.

2 Polyb. XXXI. 6. 3 Polyb. XXXI. 5, 6.

qui de regum consiliis clam inquirerent [1]. Eumenis fratres eodem tempore, quo Ariarathis legati, Romam venerunt anno U. C. 594, A. C. N. 160 [2].

Non immerito Antiochus et Eumenes Romanis suspecti habebantur. Utrumque enim Senatus offenderat; tum quoque jam antea, foedere inito, amicitiam firmaverant, quin et Antiochus ab Eumene et Attalo in possessionem regni deductus fuerat, Heliodoro, Seleuci interfectore, ab his expulso [3]. Attamen ex iis, quae supra diximus, apparet Senatum, propter insignes honores, quos antea Eumeni tribuissent, non aperte, sed occulte contra hunc agere voluisse. Itaque neque prudenter, neque ex Patrum sententia egit Sulpicius, qui, postquam in Asiam pervenit, per celeberrimas civitates edicta proposuit, quibus jubebat, ut quicunque Eumenem regem accusare vellet, ad diem certum Sardibus praesto esset.

Ab eo inde tempore Eumenes, infirma valetudine, non multa notatu digna egisse videtur. Nam de posterioris vitae annis prorsus silent historici, nisi quod Polybius refert, eum denuo fratrem Attalum Romam misisse, qui Prusiae et Gallograecorum accusationibus responderet: hunc autem a Senatu summa humanitate exceptum ac dimissum [4]. Magna vero cum gloria Eumenes per triginta novem annos regnavit, pacis quoque artes et literas amans. Bibliothecam Pergamenam valde auxit, eruditos et philosophos in honore habens. Ceterum magnanimi regis laudes Polybius his verbis extollit: »Eumenes, Pergami »rex, corpore quidem erat infirmo atque imbecilli, sed animi »vigore infirmitatem corporis compensabat: vir, in plerisque

1 Polyb. XXXI. 9. Vid. Obs. chron. XIII.

2 Vid. Hisely disp. de hist. Cappad. p. 176.

3 Appian. Syriac. 45. Cf. Sevin. p. 286.

4 Lib. XXXII. 3, 5.

»rebus nulli aetatis suae regum secundus, in rebus autem »gravissimis ac pulcerrimis omnium maximus ac splendidis»simus. Qui primum quidem, cum regnum paucis ac tenuibus »oppidulis coarctatum a patre accepisset, amplissimis temporis »sui imperiis parem dominationem suam praestitit; non tam »fortunae auxilio et casu quodam, quam solertia et industria »atque etiam rebus gestis suis. Deinde prae ceteris aetatis suae »regibus gloriae cupidissimus fuit, atque unus plurimas Grae»ciae civitates ac plurimos sigillatim homines beneficiis suis »locupletavit. Denique fratres cum haberet tres, et aetate et »industria ad res gerendas pollentes, eos in officio omnes con»tinuit et morigeros custodesque regni ac dignitatis suae »habuit satellites; quod raro admodum contigisse reperias" [1]. Livio quoque dicitur fuisse »pius erga propinquos, justus in »cives, munificus erga omnes homines" [2].

CAPUT V.

De Attalo II.

Reliquerat Eumenes filium infantem, ex Stratonice, Ariarathis regis filia, susceptum. Nihilominus Attalum fratrem

[1] Polyb. XXXII. 23 ex versione Schweighaeuseri. Cf. et Sevin. p. 288, qui haec addit: »Ces dernières paroles me rappellent le souvenir d'une maxime de ce Prince, qui se lit dans le »recueil d'Antonius Melissa (p. 175) »»Si mes frères,"" disoit il, »»me traitent en »»Roy, je les traiteray en frères; s'ils me traitent en frère, je les traiteray en Roy."'"

[2] Liv. XLII. 5.

regni successorem declaravit. Qua in re prudentissime egit, imo labantem Attalicorum regum domum ab interitu servavit. Scilicet Romanis Pergamenorum causam deserentibus, Syriae et Bithyniae regibus multisque aliis Asiae populis bellum contra Eumenem meditantibus, non nisi Attalus periculum regno immineus avertere poterat, qui et Romanorum benevolentiam atque favorem expertus erat, et finitimos reges virtute et belli gloria superabat.

Haud igitur felicibus auspiciis Attalus, hujus nominis secundus, qui et propter fraternum amorem Philadelphus cognominatur, Eumenem fratrem in regno excepit Olymp. CLV. 2, sive A. U. C. 595 [1]. Sed jam ab initio regia potestate se haud indignum praestitit. Nam cum Ariarathes ab Oropherne, qui Demetrii, Syriae regis, opibus adjuvabatur, regno expulsus esset, et frustra Romanorum auxilium implorasset [2], ipse eum restituit [3]. Demetrius autem Ariarathi infensus erat propter fastiditas sororis nuptias. Attalus autem recte intelligebat, Cappadociae rebus constitutis, Ariarathis opes Pergameno quoque regno profuturas.

---

1 Vid. Observ. chron. XIV.

2 Polyb. III. 5, XXXII. 20, Justin. XXXV. 1. Ad haec ita Sevinus p. 291: »On lit dans Tite-Live (Epit. Lib. XLVII), qu'Ariarathès fut redevable aux Romains »de son rétablissement, et ce récit se trouve en quelque manière appuyé du témoignage »d'Appien (de reb. Syriac. c. 47). Selon luy, le Sénat ordonne, qu'Oropherne et son »rival gouverneroient conjointement le royaume de Cappadoce. Je doute néantmoins que »le fait soit véritable. Voici la raison sur laquelle je me fonde. Polybe, témoin ocu»laire de ce qui se passoit alors, assûre dans un endroit de ses ouvrages, que le Sénat »avoit écouté peu favorablement les représentations d'Ariarathès; et dans un autre il »déclare, qu'Attalus avoit signalé son avènement à la couronne par la conquête de la »Cappadoce (Vid. ll. cc.). Il faut avouer, que ces deux narrations ne se ressem»blent guères. Pour moy je pense, que le plus sûr est de s'en tenir à l'autorité de »Polybe." Et sane Polybii auctoritas Appiani testimonio praeferenda videtur. Cf. etiam Hisely disp. de hist. Cappad. p. 179.

3 Polyb. XXXII. 23. Cf. Freinsh. Suppl. Liv. XLVII. 18. Vid. Observ. chron. XV.

Attalum vero domum revertentem Prusias, Bithyniae rex, aggressus est ejusque copias fudit fugavitque. Locus, ubi pugna commissa est, teste Stephano Byzantino [1], Bucephala dicebatur. Ipsa autem pugna a Polybio descripta est in libro, qui periit. Jam antea Attalus Andronicum legatum Romam miserat, qui de Prusia quereretur; cui Nicomedes, Prusiae filius, et legatus Antiphilus responderunt, quidquam injuriae a Prusia factum esse negantes. Senatus incertus, quid rei esset, legatos ad cognoscendum in Asiam misit. Attalus autem, cladem passus, Athenaeum fratrem cum P. Lentulo, ex Asia redeunte, Romam misit, Senatus opem quam maxime implorans. Vero Asiaticarum rerum statu cognito, Senatus, Attalo regi favens, legationem mittendam esse decrevit, quae Prusiae bello abstinendum esse nunciaret. Legati igitur, urgente re, cum Athenaeo profecti sunt C. Claudius Cento, L. Hortensius et L. Aurunculeius [2].

Prusias, victoria de Attalo reportata, etiam insidias ei struere cupiebat. Itaque legatis bellum vetantibus statim parere noluit, neque tamen colloquium de litibus componendis denegavit. Doloso vero animo hac ipsa re opportunam sibi ad insidias occasionem datam censebat. Nam cum ita inter eos convenisset, ut uterque rex cum millenis equitibus ad fines regnorum veniret, ipse clam totum exercitum adduxit, legatis ad Attalum praemissis, qui adventum regis cum definito numero nunciarent. Attalus legatique Romani, paene sero admoniti, vix periculum effugerunt, celerrima fuga Pergamum contendentes. Prusias autem, qui se nuper libertum populi Romani vocaverat, nunc fortuna sibi favente adeo elatus ac stolidus fuit, ut legatorum impedimenta, quae secum non avexissent, diripuerit,

---

[1] De Urb. p. 231. Cf. Sevin. p. 292.

[2] Polyb. XXXII. 26, XXXIII. 1, Epit. Liv. XLVII.

et, tanquam sibi a Romanis nihil metuendum esset, Pergamum exercitum admoverit. Ibi vero multa stulte egit. Nam postquam in Aesculapii aede ante urbem sacra fecerat, postridie Nicephorium aggressus omnia sacra et profana vastavit et incendio delevit, quin et Aesculapii signum, Phylomachi[1] nobilis artificis opus, quod pridie adoraverat, abstulit. Ita Nicephorium, quod a Philippo vastatum, ab Eumene restitutum, multisque donis ac fanis ornatum fuerat, iterum Prusiae dementia et impietate deletum est[2].

His peractis, Prusias nihil aliud ad Pergamum memorabile gessit. Elaeam aliquamdiu obsedit, quo Attalus Sosandrum cum praesidio miserat. Paulo post, exercitu domum dimisso, Prusias ipse navibus Thyatira profectus est. In itinere Diauae fanum ad Hieran Comen spoliavit, Apollinis quoque Cynei aedem in urbe Temno incendit. E pedestribus ejus copiis plerique alvi profluvio perierunt; classis quoque pars subita tempestate in Propontide cum ipsis hominibus mersa est. Romani vero, ob Prusiae perfidiam graviter indignati, decem ad eum legatos miserunt, qui de injuria sibi et Attalo illata ultionem peterent[3].

Hi Attalum et bellum quam maxime paratum invenerunt; nam et ipse ingentem exercitum contraxerat, et Demetrius quoque, Ariarathis filius, ei cum Cappadociae Pontique regum copiis in auxilium venerat. Cadis, oppido inter Phrygas Mysosque sito, legati cum rege collocuti sunt. Inde ad Prusiam se contulerunt, qui bellandi cupidus, neque tamen Senatui

---

1 Ita Polybius; alii Phyromachum sive Philomachum vocant. Hujus Aesculapii signi meminit etiam Suidas in voc. *Προύσιας*, qui illud *περίττως ὑπὸ Φιλομάχου κατεσκευασμένον* ait. Vid. Fr. Jun. de Pict. Vet. in Catal. Artif. p. 163.

2 Polyb. XXXII. 25.

3 Liv. XLVII. 34, Polyb. l. c. et XXXIII. 7.

resistere ausus, ambigua dedit responsa, tempus trahere conatus. Quod ubi animadvertit Anicius ceterique legati, Bithyno regi societatem renunciant, et continuo ad Attalum regrediuntur. Frustra Prusias, quem jam sui consilii poenitebat, legatos placare conatus est, ideoque metu perculsus in regnum se recepit. Pergamenum vero regem legati admonent, ut sua tantum defenderet, neque ultro Prusiae bellum inferret. Ipsi partim Romam redeunt, partim Ioniam, Hellespontum vicinosque Byzantio populos adeunt, ut horum animos a Prusia averterent Attaloque conciliarent [1].

Neque tamen Attalus prorsus bello abstinuit. Nam frater ejus Athenaeus cum classe octoginta navium [2] tectarum in Hellespontum navigavit multasque Prusiae urbes vastavit. Sed Romani mox Appium Claudium, L. Oppium, A. Postumium legatos miserunt, qui belli finem facerent. Ex qua festinatione satis manifestum est, quantopere Senatus timeret, ne vel Attali, vel Prusiae opes nimis augerentur. Itaque pax composita est ea lege, ut Prusias Attalo regi statim viginti naves tectas, deinde intra proximos viginti annos, quingenta daret talenta. Fines utriusque imperii, sicut ante bellum fuerant, constituti sunt. Praeterea Methymnaeis, Aegiensibus, Cumaeis, Heracleotis, pro damno allato Prusias centum talenta dare jussus est. Quo foedere facto Attalus cum exercitu Pergamum rediit [3]. Ita bello finis impositus est Olymp. CLVI. 4, A. U. C. 601 [4].

Verosimile est, neque Prusiae, neque Attalo Senatus arbitrium placuisse. Hic vero, temporibus cedens, Romanorum favorem et gratiam inire studebat. Itaque Attalum, Eumenis

---

[1] Liv. XLVII. 41, Polyb. XXXIII, 10.

[2] Ex his septem et viginti Attali triremes, Rhodiorum quinque, Cyzicenorum viginti, reliquae ab aliis sociis submissae fuisse dicuntur.

[3] Liv. XLVII. 42, Polyb. XXXIII, 10, 11.

[4] Vid. Observ. chron. XVI.

filium, quem regni successorem declarare cupiebat, cum legatione Romam misit. Tali enim modo societatem cum Romanis et sibi et successori firmissimam fore putabat. Et sane regius puer honorifice exceptus, eique omnium primo, quamvis plures Romam legati venissent, Senatus datus est. In primis veteres Eumenis amici cum magna benevolentia prosecuti sunt. Renovata est paterna amicitia hospitiique jus, quod Eumeni cum populo Romano fuerat. Honores quoque, qui aetati conveniebant, puero dati. Mox domum rediens a Graecis quoque civitatibus summo honore cultus et magnifice exceptus est. Factum hoc videtur Olymp. CLVII. 1, A. U. C. 602 [1].

Eodem fere tempore Attalus et Ariarathes cum Prienensibus bellum gesserunt. Scilicet Orophernes, quo tempore in Cappadocia regnabat, quadringenta talenta apud eos deposuerat; quam pecuniam Ariarathes, in regnum restitutus, a Prienensibus repetiit. Hi autem responderunt: quamdiu Orophernes in vivis esset futurus, nemini alteri se eam pecuniam reddituros, nisi ipsi, qui eam deposuerat. Ariarathes, ira incensus, immissis praedatoribus, agrum Prienensem vastare coepit, adjuvante Attalo. Hunc enim privata quoque cum Prienensibus simultas incitabat. Magna caede hominum facta, pecore abducto, cum ad ipsas urbis portas nonnulli trucidarentur, Prienenses et ad Rhodios, et deinceps ad Romanos legationes miserunt [2].

In Syria quoque res turbari coeperunt. Antiochenses enim a Demetrio deficiunt, et Balam quendam, obscurae sortis juvenem, Antiochi filium esse fingunt, eique Alexandri nomen indunt. Qua in re non tantum Ptolemaeus Aegypti, et Ariarathes Cappadociae reges Antiochenses adjuvarunt, sed Attalus etiam auxilium iis praestitit, testibus Justino [3] et Strabone [4],

---

1 Polyb. XXXIII. 16, Liv. XLVIII. 7. 2 Polyb. XXXIII. 12.
3 Lib. XXXV. c. 1. 4 Lib. XIII. p. 624.

etsi Josephus [1] nullam Attali mentionem facit. Neque ita se gerendo Pergamenus rex, qui Syriae regis opes minuere cupiebat, Romanis displicuit. Scilicet Heraclides, aerarii quondam Babylonii praefectus, sed a Demetrio munere dejectus, Laodicen, Antiochi Epiphanis filiam, et Alexandrum Balam, suppositum ejusdem regis filium, Romam duxerat, et oratione habita Senatum rogaverat, ut his reditus in patriam concederetur. Multi quidem inter Senatores erant, qui commentum probe intelligerent; sed compluribus aliis, quos Heraclides sibi conciliaverat, dolo faventibus, Senatus consultum factum est, quo Alexandro et Laodicae, tanquam legitimae Antiochi proli, non tantum in patrium regnum velut postliminio redeundi venia data, sed auxilium etiam promissum est. Quo facto Heraclides, Ephesum profectus, omnia ad bellum sedulo apparavit[2].

Merito Sevinus [3] conjicit Attali auctoritate in primis factum esse, ut Senatus Heraclidae votis satisfaceret. Hic enim obscurus homo vix tantum numerum Senatorum per se sibi conciliare potuisset. Quo magis autem hujus sententiae faveamus, id quoque facit, quod Heraclides in curiam admissus est eodem tempore, quo Attalo, Eumenis filio, Senatus est datus. Sane haud verosimile est Attali legatos hanc occasionem regis opprimendi praetermisisse. Ut ut est, ex Strabonis et Justini testimonio constat Attalum non minus, quam Cappadociae et Aegypti reges, Alexandro Balae opem tulisse, etsi Josephus nullam Attali mentionem facit [4]. Tali modo Alexander, ex infima sortis conditione ad summam dignitatem evectus, Demetrium, quamvis strenue pugnantem, superavit, eoque occiso, Syriae regnum adeptus est [5].

---

[1] Lib. III. c. 8. [2] Polyb. XXXIII. 16. [3] Pag. 298.

[4] Strab. XIII. p. 624, Just. et Joseph. l. c. Cf. et Sevin. p. 299.

[5] Just. l. c. Eundem tamen Demetrium Polybius ait πολυπότην ὄντα τὸ πλεῖστον

Attalus igitur ex finitimis Asiae regibus neminem nisi Prusiam sibi timendum putavit. Et sane brevi post simultates inter eos ortae sunt. Prusias enim filium suum Nicomedem Romam misit, ut a Senatu remissionem pecuniae Attalo debitae peteret. Aliam quoque legationis causam fuisse tradit Appianus. Quum enim Nicomedes praeclarae indolis juvenis esset, suisque valde dilectus, Prusiae, quem omnes propter crudelitatem et saevitiam odio prosequebantur, suspectus erat. Hic igitur filio legationis comitem dedit Menam, cui clam mandavit, ut, si pecunia remitteretur, filio quidem parceret, sin autem Senatus aliter censeret, in ipsa urbe Nicomedem interficeret. Quam ad rem etiam cercuros aliquot et duo millia militum cum eo misit. Jam vero Attalus Andronicum legatum miserat, qui ostenderet, mulctam multo minorem esse, quam rapinam. Hujus autem verba cum valuissent, Senatus Prusiae nullam pecuniae remissionem dedit. Quo facto Menas, incertus quid ageret, nam neque Nicomedem occidere, neque in Bithyniam reverti audebat, aliquamdiu Romae commoratus est. Nicomedes autem, ut sagax erat ingenio, Menam aliquid moliri suspicatus ultro compellavit, eique persuasit, ut secum contra Prusiam conspiraret. Andronicum quoque, Attali legatum, in partes suas pertraxit, qui regi suo persuaderet, ut Nicomedem in expeditione contra patrem adjuvaret. Itaque constituunt, ut ad Bernicen, Epiri oppidum, congrederentur. Ibi Nicomedes, purpura indutus et diademate regio ornatus, navem ascendit, et ab Andronico, quingentos milites secum adducente, rex appellatus est. Menas quoque militibus, quos secum habebat, oratione habita facile persuasit, ut hoc exemplum sequerentur, et Nicomedem pro patre regem agnoscerent. Hoc Appiani testimonium in dubium vocat

---

τῆς ἡμέρας μεθέσκεσθαι. Quae verba citat Athenaeus X. 11. Vid. Vales. Exc. ecl. CXXXVII. Schweigh. XXXIII. 14. Vid. Observ. chron. XVII.

Sevinus, neque credibile esse ait Prusiam tam dementem fuisse, ut filium suum in ipsa Romanorum urbe interfici jussisset [1]. Ad quae tamen animadvertimus Prusiam adeo multa stulte et inconsiderate egisse, ut facti temeritas nullam nobis causam praebere videatur, cur Appiani verbis fidem negemus; quem regem Polybius semivirum vocat, aspectu deformem, neque vero ingenio judicioque meliorem [2]. Sevino autem multo magis assentior, Sibyllae Epiri nomine Phaellae oraculum hoc tempore editum censenti. Etenim verosimile est, Nicomedem deorum

---

[1] Appian Mithrid. c. 4, 5, Sevin. p. 300 sq. Quo melius autem hac de re dijudicetur, ipsa Sevini verba hic addere operae pretium erit: »On ne sçauroit nier qu'il n'y »ait dans cette circonstance quelque chose de fort singulier, et je ne doute pas que bien »des gens ne se fassent un scrupule de l'adopter sur le témoignage seul de Appien. Un »assassinat commis sous les yeux du Sénat ne seroit pas demeuré impuni; et Prusias »pouvoit-il espérer que les Romains, jaloux à l'excès de leur autorité, luy pardonnas»sent jamais une injure, qui blessoit directement la dignité de la République? Il estoit »et plus sage et plus prudent de rappeller Nicomède, et de le faire périr dans quelque »ville Grecque, ou même dans ses propres États. Il est pourtant vray que les passions, »lorsqu'elles sont violentes, répandent d'épaisses ténèbres dans des esprits d'ailleurs solides »et éclairez. L'histoire nous en a conservé un exemple mémorable dans la personne de »Jugurtha. Quoyque grand politique, et plus habile, en tout genre, que Prusias, il »osa immoler Massiva à sa fureur au milieu de Rome, et cela, sans avoir prévû auparavant les embarras où devoit le jetter une entreprise si peu mésurée. Il faut avouer »que la ressemblance des faits justifie en quelque manière la narration d'Appien.

»Mais les particularitez que cet auteur ajoûte immédiatement après présentent des dif»ficultez, auxquelles il n'est pas aisé de répondre. Si on l'en croit, Prusias, dans la »vûe de mettre l'Ambassadeur en état d'exécuter plus sûrement ses intentions, le fit »accompagner de quelques bâtiments et de deux mille soldats. Un cortège si nombreux »devoit naturellement faire naître des soupçons. Nicomède connoissoit les sentiments du »Roy à son égard, et les soldats, dont Ménas estoit environné, luy auroient ouvert les »yeux. Il y a plus, c'est que les règles du bon sens et de la saine politique obligeoient »Prusias de sauver au moins les apparences. Il avoit tout à craindre des Romains, qui »fondez sur la multitude inutile que trainoit Ménas après soy, en auroient conclu in»vinciblement que son maitre estoit l'auteur de la mort de Nicodème."

[2] XXXVII. 2.

numine expeditionem suam sancitam voluisse. Hujus oraculi mentio fit apud Zosimum[1] his verbis:

Ὦ βασιλεῦ Θρηκῶν, λήψεις πόλιν ἐν προβάτοισιν·
Αὐξήσεις δὲ λέοντα μέγαν, γαμψώνυχα, δεινόν·
Ὅς ποτε κινήσει πατρίας κειμήλια χώρας·
Γαῖαν δ' αἱρήσει μόχθων ἄτερ. οὐδέ σε φημὶ
Σκηπτούχοις τιμαῖσιν ἀγάλλεσθαι μάλα δηρὸν
Ἐκ δὲ θρόνων πεσέειν· οἷον κύνες ἀμφὶς ἔχουσι.
Κινήσεις δ' εὕδοντα λύκον, γαμψώνυχα, δεινόν.
Οὐδ' ἐθέλοντι γὰρ εἴσω ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει·
Δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι,
Ζηνὸς ἐπιφροσύναισι. ταχὺ δ' ἐπιβήσεται ἀρχὴ
Ἀνδράσιν, οἳ Βύζαντος ἕδος καταναιετάουσι.
Τρισμάκαρ Ἑλλήσποντε, θεόκτιτα τείχεά τ' ἀνδρῶν.
— — — — θειαίσιν ἐφέτμαις
Ἂν λύκος αἰνόλυκος πτήξει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης.
Οἵ με γὰρ εἴσασίν τε ἐμὸν ναίοντες ἕδεθλον.
Οὐκέτι σιγήσω πατρὸς νόον, ἀλλ' ἀναδείξω
Ἀθανάτων λογίων θνητοῖς εὔσημον ἀοιδήν·
Θρῇσσα κύει μέγα πῆμα, τόκος δέ οἱ οὐκέτι τηλοῦ·
Πείρᾳ παῖδα κακὸν — καὶ τῇδε φέρουσα·
Τρηχὺ παρ' ἠπείρου πλευραῖς ἐπαΐσσεται ἕλκος,
Καὶ μέγα οἰδήσει, ταχὺ δὲ ῥαγὲν, αἱμορροήσει.

Nicomedis consilium, uti et id, quod Andronicus fecerat, Attalo admodum gratum fuit. Itaque juvenem laetus excepit, Prusiamque commonuit, ut filio civitates aliquot et agros ad victum daret. Ad quae Prusias superbe respondit, se mox universum Attali regnum filio daturum; quin et Romam legatos misit, qui Nicomedem et Attalum accusarent. Interim Attalus Bithyniam invasit, cumque Bithyni paulatim ad Nicomedem deficerent, Prusias, nemini fidens, nec nisi a Romanorum auxilio salutem sperans, cum quingentis militibus, quos a Die-

[1] Lib. II. c. 37. p 690.

gyle Thrace, socero suo, impetraverat, in arcem Nicaeae se inclusit. Romae quoque Attali amicitia praevaluit. Nam cum praetor urbanus, diu moratus, Prusiae legatos tandem in Senatum introduxisset, essetque jussus legatos eligere, qui Asiae bellum componerent, tres viros elegit, neque corpore, neque mente conspicuos. Nam unus eorum cicatricibus in capite deformis erat, alter pedibus aeger, tertius stultitia et simplicitate insignis. Id quod Catoni adeo ridiculum videbatur, ut neque mentem ei legationi, neque pedes, neque caput esse diceret [1].

Talem igitur legationem irritam fore facile praevideri poterat. Simularunt quidem Attalus et Nicomedes, se Senatus auctoritati cedere, sed horum instigatione clamantibus Bithynis, Prusiae immanitatem se haud amplius passuros, legati hanc querelam ad Senatum ut ferrent, Romam redierunt. Tum vero Prusias, hoc auxilio destitutus, Nicomediam migravit, ut ex hac munita urbe hostes aggrederetur. Incolae vero urbis, regem exosi ejusque filio faventes, Nicomedi portas aperuerunt, a quo Prusias in fano Jovis per satellites immissos occisus esse dicitur [2].

Etiam cum Diegyle, qui Caenis, Thraciae populo, imperabat, Attalus bellum gessit. Hujus enim filiam Prusias uxorem duxerat, quae, interfecto conjuge, patrem exhortata est, ut de Attalo ultionem caperet. Itaque Lysimachiam, Thraciae urbem, quae post Antiochi cladem Pergameno regno addita fuerat, obsidet et expugnat. Incolas vero dirissimo et inhumano more vexavit. Attalus contra clementia et benignitate Caenorum animos sibi conciliavit et regnum sibi subjecit [3].

---

[1] Appian. Mithrid. c. 6.

[2] Appian. Mithrid. c. 7, Justin. XXXIV. 4. Prusiam vero non a Nicomede, sed ab Attalo interfectum ait Strab. XIII. p. 624. Credibile est Attalum in interficiendo patre Nicomedem adjuvisse, quod diserte tradit Liv. Epit. Lib. L. Vid Observ. chron. XVIII.

[3] Vid. Diod. Ex. p. 154, Strab. XIII. p. 624, cujus verba haec sunt: *ἐχειρώσατο δὲ καὶ Διήγυλιν τὸν ἐκείνων βασιλέα στρατεύσας εἰς τὴν Θρᾴκην.* Recte autem

In bello, quod Romani contra Andriscum sive Pseudo-Philippum gesserunt, Attalus eos adjuvit. Cum enim Andriscus Q. Caecilio Metello in Macedoniam advenienti occurrere statuisset, Attali metu prohibitus est, quo minus id faceret. Is enim Romanis cum classe in auxilium venit. Itaque Andriscus, ut oram maritimam tegeret, castra non longe a Pydna communiit. Verosimile est in duobus proeliis, quae commissa sunt, Pergamenorum quoque auxilia Romanis affuisse. Andriscum autem a Metello captum fuisse Olymp. CLVIII. 2, A. U. C. 607, notum est ex Romanorum historia [1].

Eodem modo in bello contra Achaeos Attali auxilia, duce Philopoemene, L. Mummio consuli praesto fuere [2]. Idque Romanis gratum fuisse inde conjici licet, quod Mummius, eversa Corintho, Olymp. CLVIII. 4, A. U. C. 609 [3], plures tabulas egregie pictas Attalo dono dedit [4].

Attalum vero postremos vitae annos in luxuria et ignavia degisse refert Plutarchus, omni regni cura Philopoemeni tra-

---

Palmerius pro ἐκείνων legit Καινῶν, quam Thraciae gentem memorat Stephanus de Urb. in voce. Ptolemaeus quoque Καινικὴν gentem in Thraciae tabula ponit. Cff. interpp. ad Strab. l. c. et ad Plin. Hist. Nat. IV. 11. Sevinus autem (p. 305 sq.) haec addit: »Si l'on en croit le traducteur de Strabon, ce Prince (Diegylis) tomba vif entre les mains du Roy de Pergame; mais les paroles de l'écrivain peuvent également signifier qu'il perdit et la bataille et ses états. Il seroit mal-aisé de décider laquelle des deux acceptions est la véritable: les monuments historiques où cette révolution se trouvoit décrite, ne sont pas venus jusqu'à nous. Il est constant néantmoins que Trogue-Pompée en avoit transmis à la postérité les particularites les plus intéressantes. Malheureusement Justin son abbréviateur s'est contenté de nous apprendre qu'Attalus avoit subjugué les Canes (ita Caenos nominat Sevinus). Ils sécouèrent bientôt après le joug de la domination étrangère." Verum apud Just. prol. Lib. XXXVI, quem locum Sevinus citat, neque usquam alibi apud hunc auctorem sive de Caenis, sive de Diegyle aliquid invenire potui.

[1] Liv. l. c. Cf. Sevin. p. 306.

[2] Liv. LII. 13.

[3] Vid. Observ. chron. XIX.

[4] Pausan. Achaic. c. 16. p. 562.

dita [1], ita ut ex Asia redeuutes legati a Romanis deridentibus rogarentur, numquid adhuc Pergamenorum rex apud Philopoemenem gratia valeret? A fratris filio veneno interfectus est Olymp. CLX. 3, A. U. C. 616, post quam XXI annos magna cum laude regnaverat. Discessit autem e vita ipso die natali anni aetatis octogesimi secundi [2].

Supra jam diximus hunc Attalum propter pietatem in Eumenem ejusque filium cognomen Philadelphi meruisse. Imo Plutarchus [3] memoriae prodidit eum plures filios ex Stratonice suscepisse, sed omnes interfecisse, ne cum fratris filio de regno contenderent. Sunt tamen qui hoc factum propter cognitam Attali clementiam in dubium vocarint [4]. Ut ut est, constat eum juniorem Attalum ad extremum vitae halitum dilexisse. In regno administrando et in bellis gerendis prudentem et strenuum se praestitit. Romanis semper fidelis socius fuit; literis et artibus favit; plures urbes condidit; neque ulli dubium est ejus opera Pergamenum regnum ab interitu servatum. Hinc a multis ipso Eumene superior fuisse creditur, quam sententiam profecto plures secuti fuissent, si senectus culpa vacasset.

---

1 Plut. Tom. II. p. 792.

2 Plut. Tom. I. p. 717. Lucian. Macrob. § 12. ed. Hemst. II. p. 217. Cf. et Sevin. p. 307, ibique laudatl.

3 De frat. amic. Tom. I. p. 489 ult.

4 Sevin. p. 290. »Si l'on écoute Plutarque, ce Prince eut plusieurs enfants de Stra»tonice, dont il ne voulut éléver aucun, et par reconnoissance, et par respect pour la »mémoire de son prédécesseur. Mais à parler vray, une action si barbare est peu croyable »de la part d'un Monarque de qui les Anciens vantent la douceur, l'humanité et le bon »naturel.« Fatendum tamen apud veteres consuetudinem infantes recens natos interficiendi adeo frequentem fuisse, ut ex Attali clementia et humanitate vix argumentum peti liceat, quo minorem Plutarcho fidem habeamus.

CAPUT VI.

De Attalo III.

Hujus Attali imperium minime superiorum Pergami regum virtutibus respondit. Ingrato animo patruum eundemque tutorem, qui ipsum filii loco egregie carum habebat, veneno interfecit [1]. Hinc Pergameni sibi crudelem et injustam dominationem futuram auspicabantur. Quae exspectatio eos non fefellit. Namque a patruo [2] acceptum regnum caedibus amicorum et cognatorum suppliciis foedabat, nunc matrem anum, nunc Beronicen [3] sponsam maleficiis eorum necatas confingens. Eumque adeo saevientem non suorum modo, sed etiam vicinorum, ingens odium excepit [4].

Apud Suidam legitur Attalus Bithyniae regnum sibi subjecisse, sed Romanorum jussu legitimo regi restituisse [5]. Hanc de Bithynis victoriam, de qua nullus alius veterum scriptorum mentionem facit, ab Attalo juniore fuisse reportatam putat Sevinus. Credit enim Nicomedem, superioris Attali nece graviter offensum, Pergamenis bellum intulisse, sperantem fore, ut populus, hanc crudelitatem aeque perosus, a rege deficeret. Verum tamen fieri potest, ut Suidae verba de bello ab Attalo II contra Prusiam gesto sint intelligenda, eoque magis quod,

[1] Perperam Lucianus Tom. II. p. 285 Attalum a *filio* vita privatum scribit. Cf. Sevin. p. 307.

[2] Apud Just. l. c. legitur ab Eumene patruo. Sed recte viderunt Interpp. ad h. l. ibi aut *ab Eumene patro*, aut *ab Attalo patruo* legendum esse.

[3] Apud Vitruvium IV. 1. Arsinoe vocatur. Cf. Sevin. p. 313.

[4] Justin. XXXVI. 4, Freinsh. supp. Liv. LIX. 13.

[5] Suid. Tom. I. p. 182.

nullum aliud hujus Attalidarum ultimi virtutis specimen a quoquam veterum memoratur [1].

Inter eos, quos Attalus supplicio affecit, fuit etiam Daphitas grammaticus, qui in epigrammate regis originem luserat. Dixerat enim:

Πορφύρεοι μώλωπες, ἀποῤῥινήματα γάζης
Λυσιμάχου, Λυδῶν ἄρχετε καὶ Φρυγίης.

Hoc Attalus adeo aegre tulit, ut Daphitam in summo monte Thorace cruci affigi jusserit [2]. Multo melius sibi consuluit Nicander poëta, qui regi sua opera dicaverat, cumque ab

---

[1] Operae pretium est Sevini verba hic addere, quo melius hac de re judicari possit. Ait autem: »Je conviens que les paroles de ce Grammairien peuvent s'entendre égale»ment de l'oncle comme du neveu; je conviens de plus, que la plûpart des princes »ne sont point esclaves de la reconnoissance, et que dès-lors il ne seroit pas im»possible que Nicomède eût oublié les services importants que luy avoit rendus Attalus II. »J'aurois néantmoins beaucoup de penchant à croire que la guerre, qui divisa les »deux royaumes, éclata sous le règne de son successeur. Il estoit difficile que le »Roy de Bithynie ne ressentît vivement la perte d'un Monarque auquel il avoit les plus »grandes obligations, et peut-estre se flatta-t-il que les Pergaméniens, à son approche, »briseroient les fers sous la pésanteur desquels ils gémissoient. Mais la mémoire des »Attalides, encore chère aux peuples, les contint dans le devoir. Nicomède essuya »plusieurs disgraces dans le cours de cette guerre, et les Bithyniens, toûjours battus, »furent enfin contraints de subir la loy du vainqueur. Attalus ne jouit pas longtemps »d'une si belle conquête. Les Romains la luy enlevèrent, et le Sénat, toûjours attentif »à ses intérêts, ordonna que Nicomède fût remis en possession de ses états. Attalus »eut beau représenter la justice de sa cause, il fallût obeir. Toute la question main»tenant est de sçavoir si le fait, dont il s'agit, mérite quelque croyance. Suidas est le »seul des Anciens, qui le rapporte, et son autorité n'est pas toûjours bien respecta»ble. On ne sçauroit nier pourtant qu'il ne copie quelquefois de très bons écrivains, et »cela sans les nommer; c'est ce que plusieurs sçavants critiques ont déjà démontré, et »je ne vois rien dans la narration de ce compilateur, qui doive nous la rendre su»specte." Recherches sur les Rois de Pergame p. 309, 310.

[2] Vid. Strab. XII. p. 571, XIV. p. 647, Val. Max. p. 119. Cf. Sevin p. 311.

Hercule et Hippodamia originem ducere affirmaverat [1]. Forsitan ipsa haec turpis Nicandri adulatio Daphitae mordax ingenium excitaverit [2].

Multis amicorum cognatorumque interfectis, Attalus ad talem dementiam pervenit, ut occisorum Manibus poenas dare visus sit. Squalida veste indutus, promissa reorum modo barba et capillis, neque in publicum prodibat, neque populo se ostendebat, neque domi opipare epulabatur. Imo omni regni administratione relicta, hortos curabat fodiendo et gramina seminando. In primis venenatis herbis operam dedit, quas, veluti peculiare munus, amicis mittere solebat. Deinde aerariae artis fabricae se dedidit, cerisque fingendis et aere fundendo procudendoque oblectabatur. Tandem vero in matris sepulcro condendo adeo operi intentus fuit, ut, morbo ex solis fervore contracto, septimo die decesserit, Olymp. CLXI. 4., A. U. C. 621, testamento relicto his verbis: »Populus Romanus bonorum meorum heres esto" [3].

Hic Attalus igitur ultimus Pergamenorum regum fuit, quod

1 Auct. vit. Nic. Sevin. l. l.

2 Daphitae supplicium ad ultimum Attalum referendum esse merito censet Sevin. p. 311, ita disserens; »Je remarqueray en passant, qu'il est aisé maintenant de fixer le »temps auquel vivoit Daphitas. Ce fut un des Attalus qui le fit mourir, à ce que dit »Valère-Maxime; or l'Attalus, dont il s'agit ici, ne sçauroit estre Attalus premier, »l'épigramme de Daphitas même en fournit la preuve. Le Prince contre lequel il se »déchaînoit avec si peu de ménagement, estoit maître de la Lydie et de la Phrygie, »et ces deux provinces ne firent partie du royaume de Pergame, que sous le règne »d'Eumenès. Il s'en suit de-là que les traits picquants de Daphitas ne sçauroient tomber »que sur le second, ou sur le troisième des Attalus. Le second estoit un Monarque »rempli d'humanité, et qui probablement se seroit contenté de mépriser les outrages »de ce malheureux Poëte. Son successeur, au contraire, accoûtumé à verser le sang »des innocents mêmes, n'estoit point homme à pardonner une injure, qui le regardoit »personnellement."

3 Justin. XXXVI. 4, Flor. II. 20.

jam antea Pythiae oraculo praedictum fuisse Attalo avo Suidas memoriae prodidit, ut supra animadvertimus[1]: ceterum propter pietatem in matrem Stratonicen Philometoris cognomen meruit[2]. De ejus studio in herbas et medicinam infra dicemus.

CAPUT VII.

De Aristonico.

Attali testamentum Eudemus Pergamenus Romam pertulit, eamque hereditatem adiri oportere Senatus censuit. Cum vero dubium esset, quid *bonis suis* rex significare voluisset, Romani haec verba ita interpretati sunt, quasi non tantum rerum ac fortunarum, sed etiam regni heredes essent scripti[1]. Extemplo igitur missi sunt, qui Attali regnum et opes populi Romani

---

1 Vid. p. 13.

2 Vid. Strab. XIII. p. 624. Eundem Attalum Plutarchus in Tib. Gracch. p. 830. *Φιλοπατόρα* vocat, sed male, nam et ipse in vita Demetrii et Syllae Philometorem dicit. Cf. Palmer. ad Strab. l. c.

3 In adeunda hac hereditate Romanos doli mali accusat Mithridates apud Sall. Lib. IV. Hist. Nonnulli quoque huc spectare censent verba Horatii Carm. II. 18, 5, 6.

Neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi.

Alii vero non populum Romanum, sed Aristonicum ibi *ignotum heredem* vocari arbitrantur. Vid. Interpp. ad. h. l. et ad Just. et Vell. Paterc. l. c. Cf. et Sevin. p. 313. Mitscherlichius vero merum orationis ornatum putat, quem adeant qui plura velint. Cf. et Peerlkampius V. Cl., qui Plut. Moral. Tom. II. p. 1021 citat, ubi Graecus poëta eodem modo dixisse videtur *ἀγνοούμενος κληρονόμος*.

nomine possiderent. Neque tamen id sine controversia factum est, Aristonico, haud tardae indolis juvene, Romanis obsistente.

Romae quoque de eadem hereditate lites coortae sunt. Nam Tiberius Gracchus statim legem promulgavit, qua Attali pecunia civibus divideretur, ut inde agros, quos sortiti essent, recte colerent: de urbibus vero Pergameni regni non Senatus, sed populus decerneret. Qua lege tamen nihil aliud effecit, quam ut Senatus eum majori odio prosequeretur; quin et Pompejus, unus Senatorum, exsurgens se Tiberii vicinum esse diceret, sibique constare, Eudemum Pergamenum Tiberio, tanquam Romae regnaturo, diadema et purpuram donasse [1]. Sed ad Aristonicum revertamur.

Hunc ex Eumene, non justo matrimonio, sed ex pellice Ephesia, citharistae cujusdam filia, genitum ait Justinus. Etiam Livii epitome Aristonicum Eumenis filium vocat. Eutropius addit, eum ex concubina susceptum. Quin et Plutarcho idem citharoedo prognatus dicitur, Straboni *δοκῶν τοῦ γένους εἶναι τοῦ τῶν βασιλέων*. Florus quoque eum regii sanguinis juvenem vocat [2]. Vix igitur est quod dubitemus, an Aristonicus revera Eumenem patrem habuerit, quamvis Vellejus Paterculus eum mentitum

---

[1] Plut. in Gracch. p. 830. sq. Profecto Pompeji accusatio nil nisi commentum fuit, ut Tiberio noceret. Errant igitur, qui revera purpuram et diadema ad Gracchum delata censeant. Vid. Hist. Univ. Gallica versione. Tom. VI. p. 649. An vero ea, quae Plutarchus memoriae prodidit, ad C. Gracchum potius, quam ad Tiberium referenda sint, dubitat Heeren Geschichte der Revolution der Gracchen. Kleine Historische Schriften. I. p. 198.

[2] Vid. Just. XXXVI. 4, Liv. Epit. Lib. LIX, Eutrop. IV. 20, Plut. in T. Quinct. Flam. p. 381., Strab. XIV. p. 646, Flor. II. 20. Justini verba citans Sevinus p. 313 haec addit: »Le texte de cet Historien m'avoit fait naitre une pensée; c'est que »dans l'endroit de Plutarque (Tom. I. p. 381), où l'on lit *Ἀριστόνικος ὁ τοῦ κιθαρῳδοῦ*, il falloit ajouter le terme *νίωνὸς*, auquel cas ces deux écrivains seroient »parfaitement d'accord ensemble. Il se pouvoit bien faire cependant, que Plutarque eut »traité de fabuleux ce qui se débitoit sur la naissance d'Aristonicus."

regiae stirpis originem armis Asiam occupasse tradat [1]. Ut ut est, Aristonicus se verum regni heredem praedicabat, fretus, ut videtur, Romanorum dissensionibus, ideoque Pergami urbes sollicitare coepit. Primam omnium Leucas occupavit, quod oppidum a Tacho, Aegyptiorum rege, conditum, inter Phocaeam et Smyrnam, in rupe mari imminente, non adeo magnitudine et opibus, quam situ valebat. Ubi hinc juvenis consilia patefacta erant, multae quidem urbes ei favebant, sed metus eas prohibuit, quo minus Romanis obsisterent. Imo Ephesii inprimis classem educendam curaverunt, quae Aristonicum, haud procul Cyma, navali pugna vicit Leucasque recuperavit.

Attamen hoc infortunium magnum juvenis animum non fregit, sed erexit. Nam cum a mari in mediterraneas Asiae regiones profectus esset, servos ibi et egenos sollicitans majores quam antea copias brevi contraxit, quas novo nomine Heliopolitas appellavit. Fortuna melius favente, multis procliis commissis, quamquam Bithyniae et Cappadociae reges Romanis in auxilium venerant, non tantum fraude Thyatiras et Apollonidem pluresque alias civitates, sed vi et armis etiam Myndum, Samum, Colophonem recepit, atque adeo feliciter rem gessit, ut jam pro justo Asiae rege haberetur [2].

Aristonicum jam rebus suis fidentem instigabat etiam C. Blosius, philosophus Cumanus et quondam Ti. Gracchi amicus. Per hunc certior factus discordiarum, quae Romanos agitabant, Aristonicus imperium suum magis magisque auxit; quapropter Senatui placuit quinque in Asiam legatos mitti, qui res ibi constituerent. Cujus legationis P. Scipio Nasica princeps fuit [3]. Et quidem duplex causa fuisse videtur, cur Scipio

[1] Lib. II. c. 4.

[2] Strabo et Just. l. l. c. c.

[3] Plut. in Gracch. p. 831. Strab. l. c.

potissimum in hanc legationem missus sit: altera, ut odium plebis, quod Ti. Graccho occidendo sibi contraxerat, urbem relinquens effugeret; altera, quia Scipionum nomen in Asia multum auctoritate valebat. Sed mox Pergami fato functus reipublicae consulere non potuit, eaque legatio prorsus irrita fuit [1].

Jam Aristonici vires et opes adeo creverant, ut Romani imperatorem cum exercitu in Asiam mittendum censerent. Qua de re magna contentio fuit inter Consules P. Licinium Crassum et L. Valerium Flaccum. Nam cum alter Pontifex Maximus, alter Flamen Martialis esset, dubitabatur an a sacris discedere et ex Italia abire alterutri liceret. Tandem, populo jubente, Crasso consuli provincia Asia decreta est. Hic enim non tantum genere et divitiis, sed etiam eloquentia et juris civilis scientia conspicuus erat. Ut autem Asiae gentes, quo proficisceretur, sibi conciliaret, Graecae linguae, quam jam antea probe calleret, varias dialectos ita sibi familiares reddidit, ut qua lingua quid interrogaretur, eadem cuivis respondere et jus dicere posset. Ejusdem tamen viri saevitia multorum alienati sunt animi [2].

Sunt qui putent, Crassum non adeo magnas copias in Asiam traduxisse [3]. Alii vero eum cum instructissimo exercitu profectum ajunt [4]. Forte regum auxiliis fretus, magnum Romanorum militum numerum secum ducere haud opus esse censebat. Haec enim ingentia fuisse dicuntur, Nicomede Bithyniae, Mithridate Ponti, Ariarathe Cappadociae, Pylaemene Paphla-

---

1 Aurel. Vict. de Vir. Ill. c. 64. Cf. Freinsh. Suppl. Liv. LIX. 29.

2 Nimiae severitatis specimen affert Gellius Noct. Att. I. 13. Ceterum de Crasso praeter laudatos scriptores vide etiam Ciceronem Phil. XI. 8.

3 Script. Hist. Univ. Gallica versione Tom. VI. p. 650.

4 Freinsh. Suppl. Liv. LIX. 31.

goniae regibus Romanos adjuvantibus [1]. De Syriae vero et Aegypti regibus nulla mentio facta est. Neque tamen verosimile arbitror, hos Aristonico favisse; sed intestinis discordiis prohibiti fuisse videntur, quominus Romanis sociis in auxilium venirent. Aristonicus vero, ut supra diximus, magnas ex Asia copias collegerat; praeterea Thracum et Achaeorum auxiliis utebatur.

Num fieri potuit, ut tot tantaeque copiae, nulla pugna commissa, discesserint? Vix illud credendum est. Sed quoniam res in dubium vocata est, quid statuendum sit aliquanto accuratius videamus.

Initio quidem utrimque nihil memorabile gestum esse videtur. Sed extremo anni tempore, ut ait Justinus, Crassus Attalicae praedae quam bello intentior, inordinata acie proelium cum conseruisset, victus poenas inconsultae avaritiae sanguine dedit [2]. Livius quoque, summae anctoritatis rerum scriptor, Crassum proelio victum et interemtum esse affirmat [3]. Floro etiam Aristonicus Crassi exercitum cecidisse ipsumque cepisse dicitur [4]. Quid igitur est, cur his omnibus fidem negemus?

Primum quidem, ita ajunt, non omnes scriptores proelii mentionem faciunt. Strabo simpliciter ait: *Κράσσος δὲ περὶ Λεύκας ἐπιθεμένων τινῶν ἔπεσεν ἐν μάχῃ.* Quae verba magis pugnam paucorum quam proelinm spectare videntur [5]. Accedunt Frontinus et Valerius Maximus, qui iisdem fere verbis P. Crassum, cum Aristonico bellum in Asia gerentem, inter Elaeam et Myrinam (ut habet Frontinus) sive Smyrnam (ut legitur apud

---

[1] Eutrop. IV. 20. Mithridatis nomini ibi additur: »cum quo bellum postea gravis»simum fuit." Perperam vero. Nam Mithridates, qui a Pompejo victus est, hujus Mithridatis filius fuit. Vid. interpp. ad h. l.

[2] Justin. l. c.

[3] Epit. Lib. LIX.

[4] Flor. II. 20.

[5] Strab. l. c.

Valerium Maximum [1]) in hostium copias incidisse [2]. Tum quoque Flori auctoritas iis suspecta est, quia hic Crassum praetorem vocat, quem omnes consulem appellent, uno Vellejo Paterculo, cui proconsul vocatur, excepto. Adde quod apud hunc quoque scriptorem, nulla proelii mentione facta, Crassus ab Aristonico interemtus legitur [3].

Quod ad praetoris appellationem attinet, Vossius putat Crassum a Floro praetorem dici, quia proconsulis et praetoris appellatio promiscue sumatur. Tum Florum in talibus nominibus saepius peccasse constat [4]. Et quamvis Crassus sine ullo dubio consul in Asiam missus est, merito Vellejus eum decedentem ex Asia proconsulem vocare potuit, si quidem, ut nonnulli conjiciunt, consulatus annus jam praeterierat.

Neminem vero fore credo, cui Livii auctoritas non reliquis omnibus praeferenda videatur. Sed omnes, quos citavimus, scriptores inter se congruunt, si statuimus, id quod nobis maxime verosimile videtur, proelium commissum Romanosque in eo inferiores fuisse. Crassus vero, ne opes collectas perderet, ad naves fugisse atque in itinere ab Aristonici militibus captus esse videtur. Tum vero ne vivus in hostium manus veniret, facinus illud patravit, cujus Florus, Frontinus et Valerius Maximus meminerunt. Nam virga, qua ad equum regendum usus erat, Thraci ipsum custodienti oculum eruit, qui dolore et ira commotus Crassi latus sica confodit. Caput ejus ad Aristonicum perlatum est, qui illud auro replevit; corpus Smyrnae sepultum. Haec accidisse videntur Olymp. CLXII. 3, A. U. C. 624 [5].

---

1 Haec lectio vera videtur, quia Leucas, quod Strabo memorat, fere medio itinere inter Elaeam et Smyrnam situm est. Frontini lectionem defendit Oudendorpius.

2 Front. Strat. IV. 5. 16, Valer. Max. III. 2. 12.

3 Vell. Pat. II. 4.

4 Vid. interpp. ad. Vell. et Flor. l. c.

5 Vid. Entrop. et al. ll. cc., uti et Observ. chron. XX.

Magna celeritate Perperna consul, qui Crasso successor datus erat, in Asiam venit. Is humili loco natus, si Valerio Maximo [1] credendum est, consul antea quam civis fuit. Virtute clarus ad consulatum pervenerat, neque indignus erat, cui Asiae bellnm decerneretur. Aristonicum enim, ex victoria nimis securum, adeo celeriter aggressus est, ut neque tempus illi daret ad copias colligendas, multo minus ad civitates Asiae sollicitandas. Tandem ad Stratonicen, Ioniae urbem, cum Aristonicus fugisset, consul eum fame ad deditionem compulit. Frustra Blosius, cum ipse sibi manus inferret, Aristonicum adhortatus est, ut eodem modo sibi consuleret [2]. Itaque Perperna Aristonicum in vincula conjectum cum gaza Attalica navibus imposuit, ut Romam transportaretur. Ipse Asiae urbes peragrans rem ibi constituit et provinciam Romanis tributariam fecit.

M'. Aquilius Perpernae, cui successor datus erat, triumphi gloriam invidens, in Asiam festinavit, et, nisi Perpernae mors intervenerat, magna profecto inter illos contentio fuisset. Aquilius autem cum omnes Asiae nrbes in potestatem Romanorum nondum essent redactae, timens ne, si diutins moraretur, ipsum alius exciperet, infando scelere, quo deditionem celeraret, venenum fontibns miscuit. Quae res eum infamem reddidit. De Aristonico, quia ad mortuum Perpernam victoria pertinebat, testibus Strabone et Eutropio, triumphatnm non est. Cum vero

---

[1] Lib. III. c. 4. ex. 5.

[2] Quam intrepido animo Blosius fuerit, patet ex Plut. in Gracch. p. 834, qui post Tiberii caedem ad consules eum adductum, deque his, quae acta essent, interrogatum refert. Respondente Blosio: »se omnia Tiberii jussi facturum fuisse." Scipio Nasica: »Quid igitur," inquit, »si Tiberius Capitolio faces subdere jussisset?" Tum Blosius, responsum avertens, »Tiberium nunquam tale quid jussurum fuisse" dixit. »At si fecisset?" iterum rogatur. »Equidem," respondit philosophus, »nihil turpe duxissem hoc »jussum exsequi. Tiberius enim id non imperasset, nisi populo utile foret." Quae animi constantia omnes adeo commovit, ut Blosius incolumis sit dimissus.

reliqui fere scriptores de Perpernae morte consentiant, minor fides habenda videtur Valerio Maximo et Vellejo Paterculo, qui Perpernam de Aristonico triumphasse memoriae prodiderunt. Strangulatus est Aristonicus in carcere Olymp. CLXX. 4, A. U. C. 625. Sic Asia Romanorum facta (sunt verba Justini) cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit [1].

[1] Vid. Script. supra laud., quibus addatur Orosius V. 10. Cf. et Sev. p. 313 sqq.

PARS ALTERA.

DE ANTIQUITATIBUS PERGAMENIS.

CAPUT I.

De urbe Pergamo, deque Pergameni regni ditione.

Antiquissimis temporibus urbem sive Mysiae, sive Phrygiae [1] ad Caycum [2] amnem conditam fuisse tradunt a Telepho, Her-

[1] Plerique Mysiae, Petavius Rat. Temp. I. p. 159. Phrygiae majoris oppidum vocat. Quum vero Galenus, de sanit. tuend. V. 5, qui Pergami natus erat, Mysiam *ὁμοροῦσαν Περγάμῳ* vocet, et etiam Aristides, Serm. Sacr. Tom. I. p. 507, ita loquatur: *ἀπῄειμεν διὰ Μυσίας εἰς Πέργαμον*, mihi verosimile videtur Pergamum Mysiae vicinam et conterminam fuisse. Forte Cetius fluvius hic terminus fuit. Mysi enim ab Homero Κήτειοι dicuntur. Vid. Odyss. *Λ*. vs. 520. Mysi et Phryges saepius confunduntur, de quibus ita Strabo XII. p. 571. *ἔργον διορίσαι*

Χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα.

Secundum Pausaniam Attic. cap. 4. Pergamum in ea regione fuit, quae olim Teuthrania dicebatur. Cf. et Strab. Lib. XII. p. 571.

[2] Apud Pausaniam semper *Κάϋκος* per *υ* scribitur, apud Homerum et alibi saepius per *ι* effertur. Vid. Fred. Sylb. ad Paus. Arcad. 4. edit. Kuhn. p. 606. *Mysus Caicus* dicitur a Virgilio Georg. IV. 370 et similiter *Μυσὸς Καϊκὸς* Anthol. Lib. IV. cap. 7. epigr. 21., uti et ab Aeschylo in Myrmidonibus apud Strab. XIII. p. 616.

Ἰὼ Κάϊκε Μύσιαί τ' ἐπιῤῥοαί.

Teuthranteum Caicum vocat Ovid. Met. II. 243 et alibi. Cf. et Spanhem. ad Morell. Epist. II. § 13. Ut autem urbs Pergamum ab altera in vicina Troade ejusdem nominis discerneretur, saepius apud Pausaniam vocatur *Πέργαμος ὑπὲρ Καΐκου*. Etiam in

culis filio, quae postea a Pergamo, Pyrrhi et Andromaches filio, occupata, victoris nomen accepit et deinceps Pergamus sive Pergamum dicta est [1]. Nonnulli ab Eurypylo, Telephi filio, urbis initia posita memoriae prodiderunt. Is enim, teste Servio, cum patris occupasset imperium et bello a finitimis vexaretur, Pergamum ad auxilium de Epiro provocavit, a quo defensus, victor duas urbes condidit, unam Pergamum de nomine Pergami, alteram Grynium ex responso Apollinis [2]. Alii vero hanc nominis originem merito in dubium vocarunt. Constat enim plures in montibus positas arces Pergama fuisse appellatas, quo nomine igitur proprie arx sive castellum significari videtur [3].

oraculo quodam de Pergamo dicitur *Καΐκου ναμάτων οὐ τηλόθεν* Vid. Arist. Serm. Sacr. III. p. 551. Cf. Spanhem. l. c.

1 Pausan. Att. c. 11. Cf. et. Arist. de Urb. conc. Tom. II. p. 302. Huc spectat numus, quem Harduinus ex museo regio Gallico citavit, in quo legitur *ΠΕΡΓΑΜΟϹ ΚΤΙϹΤΗϹ*. Vid. Eckh. Doctr. Num. Vet. II. p. 463. In alio quoque numo, quem sub Hadriano cusum putat Eckhelius, Pergami conditoris imago conspicitur capite barbato diademato. Vid. Eckh. l. l. Ejusdem Pergami effigiem bis quoque dedit Caninius (Images des Héros et des grands hommes de l'Antiquité IV. p. 20. et V. p. 22 sq.): alteram a gemma viri barbati aetate jam provectioris, cujus caput comatum et diademate vinctum est; alteram e nummo aereo, viri imberbis et admodum juvenis cum galea, unde seta equina pendet, Graecorum at Trojanorum more. Utrumque caput non aliam oris dissimilitudinem praebet, nisi quam anni afferre solent.

Ceterum urbis nomen varie scribitur. Stephano enim Byzantino vocatur *ὁ Πέργαμος*, Pausaniae Lib. V. c. 13 *ἡ Πέργαμος*, Straboni XIII. 623. *τὸ Πέργαμον*, Plinio et plerisque Latinis Scriptoribus *Pergamum*. Apud Livium non nisi obliquo casu urbis nomen inveni. Polybio etiam vulgo *τὸ Πέργαμον*, sed duobus locis, XXI. 8. 1. 4. XXII. 3. 13, ubi Cf. Schweigh. masculino genere effertur. Recentiores quoque differunt. Ex. gr. Heeren. (Handb. der Gesch. der St. des Alterth.) scribit *Pergamus*; contra Reichardus in tab. geogr. *Pergamum*. Verosimile est antiquiorem formam fuisse *Πέργαμος*. Qua de re vid. Fr. Passow. in Lex. Schneid. ad voc. ubi etiam citatur Lobeck Phryn. p. 422.

2 Vid. Serv. ad Virg. Ecl. VI. 72.

3 Nobilissimam Trojanorum arcem *Pergamum* appellatum fuisse nemini ignotum est. Vox cognata videtur cum Graecorum *πέργας*, cujus vocis originem non-

Ut ut est, haud dubitari potest, quin Pergamos diu ante Lysimachi et Philetaeri tempora condita sit. Ipsi Pergameni se ex eo Arcadum numero esse volebant, qui cum Telepho in Asiam trajecissent. Cum Agamemnonis copiis manum conseruisse dicuntur, cum Graeci, ab Ilio aberrantes, e Mysorum agro, Trojanum illum esse rati, praedas agere aggressi essent [1]. A Lydorum regibus subjecta, post victoriam, quam de Croeso Cyrus reportavit, in Persarum potestatem venit. Postea Alexandro Magno, hinc Lysimacho cessit, a quo cum Philetaerus defecisset, novi regni caput esse coepit, ut supra ostendimus. Erat autem urbs condita in montis vertice, coni formam habentis, atque hinc ipsius loci natura contra hostes facile defendi poterat; quapropter a Strabone vocatur *πόλις ἐπιφανὴς ἔχουσά τινα ἡγεμονίαν πρὸς τόπους τούτους*, quin et Plinio longe clarissimum Asiae oppidum dicitur [2].

Situm Pergami Atheniensium urbi baud dissimilem fuisse observat Choiseul-Gouffierius, qui utrumque locum vidit, atque ita optimus hac in re judex habendus est [3]. Mons, in quo arx

nulli ex Arabica lingua repetunt. An vero nostratium et Germanorum *Berg*, *Burg* ejusdem originis censenda sint, affirmare non ausim. Animadvertendum tamen Italiae urbem, cui nomen *Bergamo*, (aliis *Bergomum*) in montibus situm esse, ibique et bubulcos *Bergaminos* (Gallice *Bergers*) et ipsas vaccas, quae gregatim in montibus pascuntur, *Bergaminas* vocari. Vid. Erythraei ind. in Virg. voc. *Pergama*. Quin et collem, suburbio imminentem, *Bergam* appellatum fuisse idem testatur. Quaecunque vero vocis origo fuit, aquidem facio eum viro nobilissimo Choiseul-Goufier. Voyag. Pitt. de la Grèce Tom. II. Ch. XIII. p. 20, qui haec ait: »Il ne seroit sans doute d'aucun »intérêt da contester aujourd'hui au fils de Pyrrhus le foible avantage d'avoir ainsi dé»signé la capitale de ses États. On ne peut cependant se refuser à remarquer, que le »nom da *Pergama* étoit une expression générale, qui caractérisoit toutea les citadelles »placées sur dea montagnes, et qu'ainsi il n'était paa nécessaire da supposer un prince »du même nom."

1 Pausan. Attic. c. 4.

2 Strabo XIII. p. 623, Plin. Hist. Nat. V. 33.

3 Voyag. Pitt. de la Grèce Tom. II. Ch. XIII. p. 26.

posita erat, jacebat inter duos amnes Cetium et Selinum, qui in Caycum labuntur: quorum hic Pergamum intermeabat, ille praeterfluebat, profusus Pindaso monte [1]. Ipsa urbs, ingens solum amplexa, in utraque Selini ripa extendebatur, qui fluvius haud ita magnus, sed rapidus, nomen habuisse dicitur ab herba, ibi abunde crescente, quae Graecis *σέλινον*, Latinis *apium* vocatur, quaeque in numis aliquando conspicitur [2]. Utriusque fluvii, Selini et Cetii, nomen et imago conjunguntur in numo Imperatoris Marci Aurelii, quem a Spanhemio proditum citat Harduinus ad Plin. V. 33, in quo haec leguntur: *ΕΠΙ CΤΡΑ. ΚΑΛΛΙCΤΕΟ. CΕΛΕΙΝΟC ΚΗΤΕΙΟC ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Β. ΝΕΟΚΩΡΩΝ* [3]. Ager, quem Caycus praeterfluebat, ipse quoque Caycus vocatus, longe opulentissimus erat et fertilissima pars totius Mysiae habebatur [4]. Recentiores quoque hujus regionis fecunditatem laudibus celebrant, quippe quae pascuis, segetibus et olivetis conspicua sit.

Magnificentia urbis jam Lysimachi temporibus insignis fuit. Hic enim cum Antigonum devicisset, Pergamum sibi *γαζοφυλάκιον* eligens, urbem et ampliorem et munitiorem reddidit. Attalicorum vero regum munificentia adeo exornata est, ut Aristides rhetor unum ex multis et splendidis, quae Pergami erant, aedificiis sufficere censeat ad quamvis urbem celebrem et no-

---

1 Plin. l. c.

2 Vid. Abb. Belley Observations sur l'histoire et sur les monumens de la ville de Pergame. Mem. de l'Acad. des Inscr. et bell. lettr. T. XXXVIII. p. 148.

3 Idem hic numus esse videtur, quamvis inscriptio aliquantum differat, qui laudatur a Belleio l. c. e. thesauro Pellerini Suppl. II. p. 70., quique ab eo sic describitur: »Le type est la représentation de deux fleuves couchés, qui se donnent la main droite; »ils soutiennent la statue de la Fortune, et tiennent de la gauche une corne d'abon»dance. Le fleuve, qui est à droite, est appuyé sur une urne, et celui qui paroît à »gauche tient une branche d'ache, et est environné d'herbes de marais."

4 Strab. XIII. 624.

bilem reddendam [1]. Rudera, quae supersunt, hanc magnificentiam satis declarant, quapropter operae pretium me facturum arbitror, si de singulis aedificiis, quoad fieri potest, pauca dicam. Qua in re et veteres scriptores, et recentiores, qui illuc iter fecerunt, opem praestabunt.

Ipsa arx, in montis vertice posita, non tantum valde munita, sed et satis ampla fuit. Ingentem militum numerum continere poterat, quibus ne aqua deesset, plures cisternae, praestantis et antiquae formae, constructae erant, quae saepius renovatae, etiam quo tempore Choiseul-Gouffierius haec loca adiit, pluviam excipiebant. Prope arcem templum erat Minervae victricis, *'Αϑηνᾶς Νικηφόρου*, quod nomen saepius legitur in numis Pergamenis, quos nonnulli perperam Atheniensibus tribuerunt. Haec aedes haud ingens, sed elegantissimae formae fuit, columnis Corinthiaci styli et variis artis operibus exornata, quorum vestigia satis indicant, florentissima artium aetate hoc templum exstructum fuisse. Basis, et natura loci, et artis auxilio, solidissima fuit [2]. Haec et reliqua aedificia, in montis vertice posita, muro validissimo cingebantur, intra quod spatium Pergamum continebatur, quo tempore Lysimachus Philetaero arcem tradidit [3].

---

[1] Orat. de concord. Urb. p. 303. Cf. et Choiseul-Gouff. l. c.

[2] »Pour en assurer la solidité, on ne se contenta point d'écrêter le sommet de la »montagne, on soutint le talus du terrein par un mur de terrasse construit avec »d'énormes blocs de granit; et c'est sur cette masse indestructible que s'offrait à tous »les regards le temple de la divinité tutélaire.“ Choiseul-Gouff. ibid. p. 32.

[3] »En descendant de la citadelle, je laissai à ma gauche les ruines d'un édifice, »et me rapprochant du premier mur antique et flanqué de tours, je me trouvai sur »une vaste terrasse, qui forme une saillie contenue par le revêtement le plus solide; »des contre-forts l'appuient dans toute sa hauteur. Sur cette place, qui offre quelque »ressemblance avec le Pnyx d'Athènes, sont des débris de colonnes; mais on ne pour»roit former que des conjectures vagues et hasardées sur le monument auquel elles

Paulo inferius in clivo montis alterum spatium erat, itidem muro cinctum, intra quod, orientem versus, magnifica regum palatia erant exstructa. Columnarum, quae haec aedificia adornabant, Sponii tempore non nisi quinque supererant, omnes marmoreae, XXI tantum pedes altae. Alia quoque columnarum fragmenta in altera viae parte dispersa erant. Meridiem et orientem versus duo erant tumuli haud ita magni, quibus turres erant impositae ad urbis introitum defendendum. Aquaeductus, longe extra urbem porrectus, Cetii fluvii aquas in regiam ducebat [1].

Infra arcem, meridiem et orientem versus, praeter aedem, incertum cui deo consecratam, Prytaneum fuit et templum Aesculapii, omnium, quae Pergami erant, magnificentissimum [2]. Hoc templum antiquissimis temporibus fuit conditum in eo loco, ubi Aesculapius medicinam exercuisse dicebatur. Ab Attalicis regibus valde exornatum summa religione colebatur, etiam post quam Pergamenum regnum in provinciae Romanae formam redactum fuit [3]. Splendidissima hujus templi rudera vidit et descripsit Choiseul-Gouffierius, qui et dimensiones notavit [4].

»appartenoient. Cette première enceinte indique l'étendue qu'avoit la forteresse, lorsque »Lysimaque en confia la garde à Philetaerus." Ibid. p. 33.

1 »Un long aqueduc portoit dans le palais les eaux du Cetius, prises à une hauteur »égale dans le ravin par lequel elles descendent, pour aller se jeter dans le Caïcus, à »une petite lieue vers le sud-est." Ibid. p. 33.

2 Aristid. Orat. de Urb. conc. Tom. II. p. 304. *ἑστία γὰρ Ἀσκληπιοῦ Ἀσίας ἐνταῦθα ἱδρύνθη;* ubi Spanhemius legendum censet *Ἀσκληπιοῦ καὶ Ἀσίας*. Vid. Epist. ad Morell. II. § 2.

3 Pausan. Eliac. cap. 13.

4 Intra urbem situm fuisse Aesculapii templum arbitratur Valesius, quem ita refellit Sevinus p. 293, 294: »M. de Valois a cru, que cet édifice estoit dans la ville »même. En effet deux Écrivains célèbres paroissent l'insinuer, Pausanias (Lacon. c. 26) »et Serenus Sammonicus (de med. praec. salubr. vs. 3 sqq.) Mais les expressions ni de

Prope Aesculapii templum aliud fuit Jovis, Nicephorium dictum, cui adjacebat lucus deo sacer, cujus templi vestigia vidit Choiseul-Gouffierius [1]. Veneris quoque fanum in propinquo fuit. Quae omnia a Philippo, Macedonum rege, vastata supra diximus [2]. Nicephorium, a Philippo deletum, iterum consevit Eumenes [3].

Extra urbem in ripa Selini ingens aedificium fuit, quod Gymnasium fuisse verosimile est. Qua parte vero urbs ad meridiem et occidentem vergit, Amphitheatrum conspiciebatur. Utriusque aedificii imaginem idem expressit Choiseul-Gouffierius [4].

Quo tempore Romani Imperatores orbem tenebant, Divo Augusto atque Urbi Romae magnificum templum apud Pergamum dicatum est. Idque ab Augusto non prohibitum esse Tacitus [5] memoriae prodidit. Hoc enim sibi concedi insignem

»l'un ni de l'autre de ces Auteurs ne doivent point estre prises à la rigueur. Les »bâtimens voisins des villes sont d'ordinaire censez en faire partie. Il est constant, par »exemple, que le temple d'Esculape, dont parle Sammonicus, estoit à quelque dis»tance d'Épidaure. Je ne crains pas d'avancer la même chose de celuy de Pergame, »et celà fondé sur le passage de Polybius allégué cy-dessus (de virt. et vit. 31): du »moins il ne me semble souffrir aucune difficulté. Je ne dois pas obmettre icy une »remarque de Plutarque (II. p. 286), qui seule décideroit la question. Il prétend, »que les Grecs plaçoient rarement dans l'enceinte des villes les temples dédiez à Escu»lape, et j'ay bien de la peine à me persuader que les Pergameniens se seroient »écartez d'un usage reçu presque généralement."

1 Voyage pitt. II. p. 34. »Près du temple d'Esculape, et sur le bord septen»trional de la plate-forme qui le porte, étoit un autre édifice dont les débris sont »enclavés dans les murs du Bazar. C'étoit probablement le temple de Jupiter Nicé»phore, le *Nikephorion*, dont la façade s'avançoit sur la place, et dont l'extrémité »opposée étoit attenante à un bois consacré au dieu, lequel fût brûlé par Philippe »lorsque ce prince fit sans succès le siége de Pergame."

2 Pag. 23.

3 Strabo. XIII. 624.

4 Pag. 35.

5 Annal. Lib. IV. c. 37.

favorem putabant, pro quo magnas gratias agebant. Imo eo adulationis pervenerunt, ut undecim Asiae civitates Tiberio templum consecrare vellent. Pergameni frustra sibi hanc veniam petiverunt: quippe eos aede Augusti ibi sita satis adeptos creditum [1]. Trajani quoque templum haud ita magnum Pergami fuisse dicitur [2]. Sub eodem Imperatore C. Antius Aulus Julius Quadratus, vir consularis, qui Asiae proconsul et Syriae exarchus fuerat, de Pergamo bene meruit: id quod ex inscriptione colligunt Gallici Encyclopaediae scriptores [3]. Quam quidem inscriptionem nusquam reperi. Sed inter inscriptiones Neapolitanas apud Osannum [4] una est, quam frustra legere conati sunt Viri Docti, quaeque ita incipit:

— — LVSADAVCIVS
MILQVADRATVS

Pro ADAVCIVS ibi ADAVCTVS restituit Osannus. An vero in hac quoque inscriptione ejusdem C. Antii Auli Julii Quadrati nomen latet? Nihil affirmare audeo. Ceterum ex septem ecclesiis, quarum in sacris literis mentio facta est, unam a Pergamo urbe nomen habere cuivis notum est [5].

Monumentum Auges, Telephi matris, adhuc Pausaniae tempore Pergami conspiciebatur. Tumulus erat lapidea basi circumdatus, cui aenea nudae mulieris statua imposita [6]. Hujus, uti et plurium aliorum, vestigia vidit Choiseul-Gouffierius,

1 Tacit. Ann. Lib. IV. c. 55.

2 Choiseul-Gouff. p. 26.

3 Ad. voc. *Pergamo.*

4 Sect. V. p. 545.

5 Apocalyps. cap. I. vs. 11.

6 *Καὶ νῦν ἔστι μὲν Αὔγης μνῆμα ἐν Περγάμῳ τῇ ὑπὲρ τοῦ Καΐκου, γῆς χῶμα, λίθου περιεχόμενον κρηπῖδι· ἔστι δὲ ἐν τῷ μνήματι ἐπίθημα χαλκοῦν πεποιημένον, γυνὴ γυμνή.* Arcad. cap. 4.

quae copiose exposuit. Inter haec talia fuisse, quae nostratibus dicuntur *Hune-bedden*, ex ejus verbis colligi potest [1].

Idem memorat tres inscriptiones, quae Pergami repertae, in uno eodemque aedificio conjunctae fuisse videntur. Continent *στίχους ἰσοψήφους*, sive ejusmodi versus, qui singuli certum numerum in margine additum indicant, eodem fere modo atque in chronostichis computatum ex summa, quam singulae literae faciant, pro numeris habitae. Exemplo sit prima inscriptio, quae hujusmodi est:

ΑΡΧΙΤΕΚΤΩΝ	ΒΡΠϹ
ΘΙΟΙΣ ΑΙ ΤΕΧΝΕΙΤΑΙΣ ΙΕΡΟΙΣ	ΒΡΠϹ
Ι ΝΕΙΚΟΔΗΜΟΣ ΑΓΑΘΟΣ ΑΜΑ ΔΗ Ο ΚΑΙ ΝΕΙΚΩΝ ΝΕΟΣ	ΒΡΠϹ
ΗΣΦΑΛΙΣΑΤΟ ΚΑΙ ΚΟΣΜΗΣΕ ΑΠΑΣΙ	ΒΡΠϹ
ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΟΝ ΠΕΡΙΠΑΤΟΝ ΙΔΙΗΙ ΦΙΛΟΤΙΜΙΗΙ	ΒΡΠϹ
ΕΝ ΒΙΩ ΔΕ ΚΑΛΟΝ ΕΡΓΟΝ ΕΝ ΜΟΝΟΝ ΕΤΠΟΙΙΑ	ΒΡΠϹ

Sensus horum versuum fere huc redit: »Divis semper et sacris »artificibus architecton Nicodemus praeclarus, qui et Nico mi»nor vocatur, cunctis agoranomiam [2] porticum sua liberalitate »(i. e. suis sumtibus) instauravit et ornavit. In vita vero una »omnium pulcerrima res est beneficentia."

Hi versus, soluta tamen oratione, ita dispositi sunt, ut singuli numerum ΒΡΠϹ, sive 2180, contineant, qui numerus cuivis versui in marmore additus est. Computandum enim est hoc modo:

---

[1] Voyag. Pitt. Tom. II. ch. XIII. p. 27.

[2] Choiseul-Gouffierius vertit *une salle d'assemblée*, artificesque eo convenisse putat, ut de rebus suis agerent, inprimis de emtione et venditione eorum, quae ad artem suam attinerent. Graecorum *ἀγορανόμοι* annonae rebusque forensibus et venalibus praefecti erant. Comparantur cum Romanorum aedilibus. Vid. Lambin. ad Plaut. Capt. IV. 2. 44 et Taubm. ibid. et ad Rud. II. 3. 43.

A	valet	1
P	——	100
X	——	600
I	——	10
T	——	300
E	——	5
K	——	20
T	——	300
Ω	——	800
N	——	50
	Summa	2186

et sic in reliquis omnibus. Hanc frivolam industriam et obscuram diligentiam, si nihil utilitatis habet, omnino carpendam esse nemo non videt. Attamen ipse ille numerus, qui semper idem prodit, causa fuisse videtur, cur voces ita sint compositae, quo melius scilicet memoria teneretur, eodem fere modo atque artis mnemotechnicae periti hodie facere solent.

Secundam inscriptionem omitto. Tertia nimis longa est, quam ut tota hic reddatur. In ea vero quaedam non propter numerum prodeuntem, sed propter mathematicas notiones, quas continent, memoratu digna sunt. Scilicet haec in marmore leguntur:

ΚΑΛΑ ΔΕ ΚΑΙ ΘΑΤΜΑΣΙΑ ΕΙΗ ΣΤΕΡΕΑ
ΤΡΙΑ ΣΧΗΜΑΤΑ 'Γ
ΑΙΔΙΗ ΓΑΡ ΛΟΓΟΝ ΙΣΟΝ ΠΟΙΕΕΙ ΚΑΙ
ΣΤΕΡΕΑΙΣ ΚΑΙ ΟΛΑΙΣ ΕΠΙΦΑΝΙΑΙΣ 'Γ
Ο ΚΤΒΟΣ ΚΑΙ ΕΙ ΕΝΑΡΜΟΖΟΙ ΚΤΛΙΝΔΡΟΣ
ΑΛΛΑ ΙΔΙΑ ΚΑΙ ΘΕΙΑ ΣΦΑΙΡΑ 'Γ
ΑΠΑΣΙΝ ΗΓΗΜΑ ΚΤΒΟΣ ΜΕΝ ΜΒ
ΚΤΛΙΝΔΡΟΣ ΔΕ ΛΓ ΣΦΑΙΡΑ ΔΕ ΚΒ 'Γ
ΙΔΙΑ ΔΕ ΤΟΙΟΣΔΕ ΤΟΤΤΩΝ ΕΙΗ ΛΟΓΟΣ 'Γ
ΘΕΙΟΣ ΚΑΙ ΕΝ ΣΤΕΡΕΩ ΑΜΑ ΚΑΪ ΕΝ ΤΗ
ΟΛΗ Δ ΕΙΙΙΦΑΝΕΙΑ 'Γ

»Pulcrae et admirabiles sint solidae tres figurae; nam sem»per inter se eandem rationem habent, sive soliditatem, sive »totam superficiem spectas; cubus scilicet, cylindrus cubo in»clusus, et inprimis divina sphaera, quae cunctis praeest. »Cubus quidem est XLII, cylindrus vero XXXIII, sphaera XXII. »Talis autem earum divina ratio erit et in solido, et simul in »tota superficie." Verba vero ita construuntur, ut sexies numerum *'Γ*, sive 3000, contineant.

Hanc inter cubum, cylindrum et sphaeram rationem nemini recentiorum his numeris cognitam fuisse ait Delambrius [1].

---

[1] Quo melius inscriptionis verba intelligantur, hujus celeberrimi viri explicationem hic addimus:

»Si le rayon de la sphère est 1, la hauteur du cylindre ou le côté du cube cir»conscrit sera 2; la face du cube 4: les six faces du cube seront 24.

»La surface de la sphère sera quatre fois celle du grand cercle, ou.... 12,5664

»Ajoutez-y deux fois le grand cercle.............................. 6,2832

»La surface entière du cylindre sera.............................. 18,8496.

»Au lieu de 24 prenons 42 pour la surfacs du cube, c'est à dire, multiplions 24 par $\frac{7}{4}$, nous aurons pour le cube...................................... 42.

»Multiplions également le cylindre par $\frac{7}{4}$, nous aurons $18,8496 \times \frac{7}{4} = 32,9868$ ou 33.

»Multiplions la sphère par $\frac{7}{4}$, nous aurons $12,5664 \times \frac{7}{4} = 21,9912$ ou..... 22.

»Voila donc l'énoncé de Nicon vérifié, quant aux surfaces entières, qui sont entr'elles »comme les nombres 22, 33 et 42, du moins en négligeant les centièmes.

»Quant aux solidités, celle du cube $= 2, 2, 2, = 2^3 = 8$:
»celle de la sphère $= \frac{1}{3}$ de la surface $= \frac{12,5664}{3} =$ ...... 4,1888. Enfin »celle du cylindre $= \frac{3}{2}$ fois celle de la sphère ou........... 6,2832. Voyons »si ces nombres sont entr'eux comme 22, 33 et 42.

»On voit d'abord, que 8 : 42 : : 1 : 5,25. Multiplions donc nos trois nombres »par 5,25. Les surfaces étaient

»La solidité	de la sphère sera 4,1888 × 5,25 = 21.9912.....	21,9912
	du cylindre sera 6,2832 × 5,25 = 32.9868.....	32,9868
	du cube sera 8 × 5,25 = 42.0000.....	42,0000

»Les rapports sont donc les mêmes entre les trois corps, soit que l'on considère »leurs solidités, ou leurs surfaces; et ces rapports sont sensiblement ceux des nombres

Itaque Nicodemo, sive Niconi, inter mathescos peritos non ultimus locus tribuendus est. Ceterum de tempore, quo vixerit, omnia incerta sunt. Forte idem est ac Galeni pater, cui certe idem nomen Nico tribuitur. Quod quo minus credamus, nihil obstat: Nam et Galenum Pergami natum anno P. C. 131, et patrem ejus architectum et literatissimum virum fuisse constat.

Quamdiu provincia Asia indivisa fuit, Pergamum ejus principatum tenuit. Constantini vero aetate urbs fuit dioecesis Asiae, cui Ephesus caput erat. Post Heraclium, imperium in themata divisum fuit, inter quae thema Thracicum Pergamum continebat. Quo tempore vero Byzantini imperatores non nisi exiguam Asiae partem retinuerint, Pergamum habitum est arx et propugnaculum imperii [1]. Urbs capta est a Saracenis anno P. C. N. 718; denique ejusdem aerae anno 1336 a Turcis, Orcano duce [2]. Seculo decimo septimo non nisi duodecim Christianae familiae, magna in paupertate agrum colentes, inter duo millia Tur-

»23, 33 et 42; approximations assez remarquables, et qui ne paraissent pas avoir été »observéea jusqu'à ce jour. Il a été facile aujourd'hui de vérifier l'énoncé de Nicon; »mais comment ce géomètre avait-il découvert ces rapports numériques, qui n'ont été »aperçus par aucun auteur moderne? Les anciens ne connaissaient pas la théorie »des fractions continues, inventées par Lord Brounker, pour réduire une fraction »composée en une fraction beaucoup plus simple et suffisamment exacte. Il est vrai, »que l'on trouve dana les Commentaires de Théon aur l'Almagesto de Ptolémée dea »réductions à peu près du même genre, et qui sont assez heureuses; mais Théon ne donne »que les quantites reduites, sans expliquer comment il y était parvenu: ce n'était sans »doute que par de nombreux tâtonnemens. Archimède avait aussi donné dans sa mésure »du cercle des rapports de cette nature, dont le souvenir, conservé par tous les géo»mètres, est un hommage constant rendu à sa mémoire." Lettre de M. Delambre à M. Choiseul-Gouffier Voyag. Pitt. T. II. p. 173, 174.

[1] Ann. Comnen. Hist. Lib. XIV.

[2] Demetr. Cantemir. Hist. de l'Emp. Ottom. Lib. I. cap. 3. Cf. et Choiseul-Gouff. T. II. p. 27.

carum Pergami dispersae erant [1]. Hodie quoque *Pergamo* dicitur.

Praeter ipsam urbem Pergamum, aliae quoque urbes et oppida memoratu digna sunt, quae Pergamenis regibus vel subjecta fuerunt, vel stipendium dare solebant. Prae ceteris commemoranda est Elaea, quae ab Atticis, Mnestheo duce, Trojani belli tempore condita dicitur. Haec urbs Attalicorum regum emporium et navale erat, a Pergamo tria distans passuum millia. Ut igitur Pergamum cum Athenis, sic Elaeam cum Piraeeo confert Choiseul-Gouffierius. Neque sub regibus tantum, in primis Eumene et Attalo, sed etiam postquam Asia in provinciae Romanae formam redacta est, Elaea valde floruit. Hippias philosophus, Alcidamas rhetor, et Menecrates medicus ibi nati dicuntur [2].

Subjectis sibi urbibus non contentus Attalus II alias quoque ipse condidit. Inter has erat Attalia, hodie Sattalia, maritima Pamphyliae urbs, haud ita magna, sed valida, moenibus antiquae structurae cincta. Anno 1675 multa ibi adhuc vetera aedificia fuisse narrantur cum statuis hominum Romano more vestitorum. Cujus rei mentionem facit C. de Bruyn, qui illic etiam cisternas vidit, multasque inscriptiones tam Graecas quam Latinas, quas tamen describere illi non licuit. Attamen operi suo tabulam addidit, urbis et portus conspectum referentem [3]. In Eumenis honorem idem quoque Attalus Eumeniam condidit, unde etiam Philadelphi cognomen meruit [4]. Secundum Eutropium non ab Attalo, sed ab Eumene ipso conditam ait

---

[1] Encycl. ad voc. *Pergamo.*

[2] Vid. Chois. Gouff. T. II. p. 19, Scylax p. 35, Ptolem. V. 2, Strab. XIII. 622, Hard. ad Plin. V. 32.

[3] Vid. C. de Bruyn Reizen door Klein-Azie enz. Tom. I. cap. 74. p. 383 sqq.

[4] Vid. Plin. V. 29. Cf. Sevin. p. 307.

Raschius [1]: qua in re fallitur. Verba Eutropii sunt: »Auxilio »fuit Romanis in ea pugna (ad Sipylum) Eumenes, Attali re- »gis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit" [2]. Ubi perperam nonnulli pro *frater* malunt *filius*, qua de re vid. Verheykius. Illud *qui* non ad Eumenem, sed ad Attalum referendum est. Paeanius quoque male vertit: *Εὐμενὴς, Ἀττάλου, τοῦ τῆς Ἀσίας βασιλεως ἀδελφὸς, ὃς ἐπώνυμον ἑαυτῷ πόλιν ἐδείματο τὸ Εὐμένιον* Verba *ἐπώνυμον ἑαυτῷ*, de quibus nihil apud Eutropium, immerito in Graeca versione adduntur. Sed jam Cellarius animadvertit Paeanii metaphrasin saepe tam largam et copiosam esse, ut *παραφράσεως* etiam nomen fere tueri possit [3]. Ab eodem Attalo condita sunt oppida Philadelphia, Turcis Allascheyr, h. e. civitas Dei, et Stratonicea, a Stratonice, Eumenis et postea Attali uxore ita dicta [4].

Omnes Pergameni regni urbes recensere longum esset: tum et ipsa regio, florentissima pars Asiae minoris, aliunde satis cognita est. Hujus autem regni ditio variis temporibus varia fuit. Non tantum ipsam urbem Pergamum, sed alia quoque vicina Aeolidis oppida jam Philetaeri imperio paruisse verosimile est. Constat autem Eumenem, ejus successorem, haec sibi subjecta tenuisse [5]. Multo vero magis imperium auxit Attalus, quippe

---

1 Lex. Num. in voce. 2 Lib. IV. c. 4.

3 Ad Lib. I. cap. 1.

4 Plin. V. 30, ibique Hard., Strab. XIII. p. 628, Ptolem. V. 2. Cf. Sevin. p. 307.

5 Strabo XIII. p. 624. *Ἦν ἤδη δυνάστης τῶν κύκλῳ χωρίων.* De Philetaero ita Sevinus pag. 207: »Il est à présumer que la plûpart des villes de l'Éolide, »gagnées par ses liberalitez et par son adresse, se soûmirent volontairement à sa do- »mination. Je n'avance rien que sur le témoignage de Strabon; il prétend que lorsqu'An- »tiochus déclara la guerre à Eumenès, ce dernier estoit maitre des places situées dans »les environs de Pergame: or la defaite d'Antiochus par Eumenès concourt avec la »première année du regne de ce Prince, et dans un espace si court, luy auroit-il esté »possible de faire tant de conquêtes? Il résulte de-là, qu'elles estoient l'ouvrage de »Philetaerus son predécesseur."

qui, ut supra vidimus, omnia cis Taurum loca Syris ademit: quibus amissis, Aeolidem invasit. Cyma, Smyrna, Phocaea, item Aegaeenses et Temnitae se ei adjunxerunt [1]. Teii et Colophonii se ultro ejus fidei permiserunt. Ex his et aliis, quae fusius exposuimus, manifestum est omnem fere Asiae maritimam oram Attalo subjectam fuisse. Aeginam quoque insulam triginta talentis ab Aetolis sibi comparaverat [2]. Attamen Pergamenum regnum maxime floruit temporibus Eumenis II, qui, ut ait Polybius [3], *παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν συνεσταλμένην τελέως εἰς ὀλίγα καὶ λιτὰ πολισμάτια, ταῖς μεγίσταις τῶν καθ᾽ αὑτὸν δυναστειῶν ἐφάμιλλον ἐποίησε τὴν ἰδίαν ἀρχήν.* Atque idem auctor diserte ait, quibus urbibus et regionibus Eumenis regnum auctum sit. Pace enim cum Antiocho facta, Apameae decem legati et proconsul populi Romani, auditis omnibus, qui eo convenerant, iis, qui de agro aut pecunia aut simili re alia inter se contendebant, urbes ex communi consensu assignarunt, in quibus suas controversias disceptarent. De summa rerum hoc modo constituerunt. Quae civitates liberae ante bellum stipendium Antiocho regi pendebant atque in eo bello fidem populo Romano servaverant, iis immunitatem dederunt: quae vectigales Attalo fuerant, eas vectigal idem pendere Eumeni jusserunt; quae a Romanis defecerant et partium Antiochi fuerant, eas idem stipendium Eumeni jusserunt pendere, quod prius Antiocho pendebant. Colophonios, qui Notium inhabitarent, Cymaeos, Mylassenses immunes in posterum ab omni pensita-

---

[1] Lemnon quoque ab Attalo subjectam refert Choiseul-Gouffierius Voyage Pitt. de a Grèce Tom. II. Ch. XIII. p. 22. Sed credibile est eum pro Temno legisse Lemnon. Quamquam enim nullum auctorem citat, haud dubie respexit Polybii locum Lib. V. cap. 77, ubi cetera nomina inveniuntur.

[2] Polyb. Exc. Leg. 41.

[3] Excerpt. ex Lib. XXXI de Virt. et Vit.

tione tributi futuros pronunciarunt; Clazomeniis super immunitatem etiam Drymussam insulam dono dederunt; Milesiis sacrum agrum, quo propter hostes prius cesserant, restituerunt; Chios, Smyrnaeos, Erythraeos, pro singulari fide erga populum Romanum, quam in bello praestiterant, et in omni praecipuo honore habuerunt, et praeterea agro donarunt, quem quique illorum cupiebant et ad se pertinere autumabant; Phocaeensibus et pristinae leges restitutae, et ager, quem ante habuerant, redditus. Secundum haec cum Rhodiis est actum; Lycia et Caria datae usque ad Maeandrum amnem, praeter Telmessum. Regis Eumenis fratrumque ejus et in pace cum Antiocho rationem habuerunt, quantum fieri poterat, et tum in Europa Chersonesum et Lysimachiam finitimaque castella [1] et agrum, quibus finibus tenuerat Antiochus, adjecerunt. In Asia Phrygiam utramque, (alteram ad Hellespontum, Majorem alteram vocant) Mysos, quos prius ipse subegerat, Lycaoniam, Milyada, Lydiam, Tralles, Ephesum, Telmessum, has regiones et urbes decem legati Eumeni donaverunt. De Pamphylia, quam Eumenes citra Taurum esse dicebat, legati Antiochi

---

[1] Hinc orta est Eumenis querela de urbibus Aeno et Maronea a Macedonibus occupatis. Qua de re ita legati ab eo ad Senatum missi: »Si liberas esse Aenum et »Maroneam velint Romani, nihil sui pudoris esse ultra dicere, quam ut admoneat, re, »non verbo, eos liberos relinquant, nec suum munus intercipi ab alio patiantur. Sin »autem minor cura sit civitatum in Thracia positarum, multo verius esse, quae sub »Antiocho fuerint, praemia belli, Eumenem quam Philippum habere; vel pro patris »Attali meritis bello, quod adversus Philippum ipsum gesserit populus Romanus; vel »suis, quod Antiochi bello terra marique laboribusque periculisque omnibus interfuerit. »Habere eum praeterea decem legatorum in eam rem praejudicium: qui cum Cherso»nesum Lysimachiamque dederint, Maroneam quoque atque Aenum profecto dedisse: »quae ipsa propinquitate regionis velut appendices majoris muneris essent." Vid. Liv. XXXIX. 27. Non nisi septennio post a Senatu decretum est, eas urbes liberas futuras.

ultra Taurum, disceptatum cum esset, integra res ad Senatum rejecta [1].

Haec, quae Polybius Eumeni tradita refert, Cicero [2] et Valerius Maximus [3] a Romanis regi Attalo data memoriae prodiderunt, quos recte refellit Sevinus [4]. Livius [5], Polybio consentiens, de summa rerum Senatum ita constituisse ait: »Lycaoniam omnem et Phrygiam utramque et Mysiam, regias »sylvas, et Lydiae Ioniaeque, extra ea oppida, quae libera »fuissent quo die cum rege Antiocho pugnatum est, et nominatim Magnesiam ad Sipylum, et Cariam, quae Hydrela »appellatur, agrumque Hydrelatanum ad Phrygiam vergentem, »et castella vicosque ad Maeandrum amnem et oppida, nisi

---

1 Polyb. Exc. Leg. XXXVI., Liv. XXXVIII. 39.

2 Cic. pro Sext. c. 27. Cf. Gell. N. A. XII. 13.

3 Lib. IV. 8. 4. et V. 2. 3.

4 Rech. sur les Rois de Pergame, p. 256, ubi haec legimus: »Si l'on en croit »Cicéron et Valère-Maxime, ce fut au Roy Attalus que les Romains firent un si beau »present. Ces auteurs se trompent. Quant au dernier, je n'en suis pas surpris, il »tombe souvent dans de pareilles méprises; mais peu de gens ont mieux connu que »Cicéron, l'histoire de son pays. On ne sçauroit néantmoins le justifier sur l'article »dont il est ici question. Polybe assure positivement que les provinces en-deçà du »Mont Taurus furent abandonnées à Eumenès, et le témoignage de cet Ecrivain doit »naturellement emporter tous les suffrages. Il estoit né sous la règne d'Attalus, et »n'avoit guères moins de seize ans lorsque la paix fut conclue entre Antiochus et la »République. Comment rejetter l'autorité d'un homme témoin presqu' oculaire des évé»nements de cette guerre, et qui a eu soin de nous conserver le traité qui la termina? »Il se pourroit bien faire pourtant que le texte de Polybe parcouru trop légèrement, »aeût causé la méprise de Cicéron. L'Historien Grec, et Tite Live après luy, disent »qu'Eumenès supplia le Sénat de vouloir bien récompenser le zèle de ses frères. Cicé»ron aura inféré de-là, que les contrées en de-çà du Mont Taurus avoient esté données »à Attalus. Il ne paroit pas néantmoins qu'il ait eu aucune part alors à la libéralité »des Romains; ce qu'il y a de constant, c'est que jusqu'à la mort de son frère, il »vécut toujours à Pergame."

5 Lib. XXXVII. 56.

»quae libera ante bellum fuissent. Telmessum item nominatim, »et castra Telmessium, praeter agrum qui Ptolemaei Telmessii »fuisset: haec omnia, quae supra scripta sunt, regi Eumeni »jussa dari."

Secundum hanc accuratam Livii et Polybii descriptionem tabulam geographicam conficiendam curavi, qua Pergameni regni fines indicantur. Ad quam tamen haec animadvertenda habeo:

Urbes, quibus Senatus libertatem dedit, viridi colore notatae sunt. Dubitari tamen potest, an aliae quoque urbes praeter eas, quae in tabula significantur, post pacem cum Antiocho factam libertate donatae sint. Quae omnia recte discernere satis difficile est.

Aeque difficile est dijudicare, quaenam urbes Attalo, quaenam Antiocho ante bellum stipendium dederint, uti et quaenam a Romanis in bello defecerint. Cum vero omnes Eumeni stipendium dare jussae sint, regis fuisse censendae sunt.

Non satis constat, quaenam Cariae pars Hydrela appellata sit. Cum vero, Polybio teste, Caria ad Maeandrum amnem usque Rhodiis data sit, hic amnis finis utriusque populi ditionis fuisse existimandus est, eoque magis quod Livius agrum Hydrelatanum ad Phrygiam vergentem vocet, quin et castella vicosque ad Maeandrum amnem et oppida Eumeni data referat.

Stratonicea, quae urbs ab Attalo II condita est, in ea Cariae parte fuit, quae Rhodiis data est. Itaque Attalus hac in regione fines imperii extendisse videtur, forte ad Cadmum montem.

Milyada (aliis Myliada) non urbem, sed parvam regionem fuisse arbitror. Recte igitur in plerisque geographicis tabulis nomen majusculis literis scribitur.

Plerasque urbes, quae liberae erant, agri etiam aliquantum subjectum sibi habuisse credendum est.

An Pamphylia a Senatu, ad quem res integra rejecta est, Eumeni postea data fuerit, non commemoratur. Cum autem Attalus II ibi Attaliam condiderit, adeoque, hujus quidem tempore, Pergamenae ditionis fuisse videatur, a Romanis Eumenis regno Pamphyliam quoque adjectam fuisse arbitror.

Tium, Paphlagoniae urbem, Philetaeri patriam, ab Eumene Prusiae dono datam fuisse legimus. Itaque etiam haec urbs aliquando Eumenis fuit. Dubitari potest, an plures Paphlagoniae urbes Pergamenis regibus subjectae fuerint.

Adramytteum Stephano ad Caycum amnem fuisse dicitur. Qua in re falli videtur. Ceterum inter fertilissimas et opulentissimas Asiae urbes fuit, quam Antiochus aggredi non ausus est [1].

CAPUT II.

De Pergamenorum regum in literas et artes meritis.

Uti in Aegypto Ptolemaei, sic et Pergami reges Attalici literis et bonis artibus favebant. Imo vix alibi regum seriem invenias, qui omnes tanto literarum studio ducti et libris comparandis et doctis hominibus favendo posteritati adeo profuerint. Nam illi quoque libri, qui nobis ex Alexandrina bibliotheca servati sunt, magnam partem Pergamo illuc translati erant: quin et nisi charta inventa fuisset, quae ab urbe Pergamo nomen accepit, vix ulla antiquitatis scripta ad nostram

[1] Vid. Steph. de urb. in voc., Plin. V. 32 ibique Hard. Cf. Sevin. p. 249.

aetatem pervenissent. Verum de singulis Pergami regibus, quantum ex veteribus scriptoribus et monumentis colligi licet, accuratius videamus.

Insignes Lysimachi opes, quas Philetaerus possidebat, non tantum ad copias conducendas et urbem muniendam, sed etiam in gratiam literatorum hominum adhibitas, e paucis, quae hac de re memoriae prodita sunt, facile conjici licet. Ipse haud illiberaliter educatus beneficia contulit in eos, qui scientia et doctrina prae ceteris elucebant. In Philetaeri honorem mathematici pedem, qui regius dicebatur, etiam *philetaerium* vocarunt. De quo ita Hero Alexandrinus [1]: *ὁ ποῦς ὁ μὲν βασιλικὸς καὶ φιλεταίριος λεγόμενος ἔχει παλαιστὰς τέσσαρας, δακτύλους ις'.* Et alio loco: *ἡ δ'ἀκένα ἔχει πόδας φιλεταιρίους ι, ἤτοι δακτύλους ρξ'.* Verosimile est eos, qui regis pedi hoc nomen dederunt, Philetaero propter beneficia collata gratum animum significare voluisse. Sin autem mera adulatio fuerit, nihilo minus patet, Philetaerum inter eos principes habitum, qui eruditos honore afficerent. Simili modo etiam botanices studiosis favisse videtur. Legitur enim apud Plinium [2]: »Polemoniam, alii Phi»letaeriam, a certamine regum inventionis appellant. Cappa»doces autem chiliodynamam, radice crassa, exilibus ramis, »quibus in summis corymbi dependent, nigro semine: cetero »rutae similis, nascitur in montuosis." Et iisdem fere verbis Dioscorides [3] ita scribit: *Πολεμώνιον, οἱ δὲ Φιλεταίριον, Καππάδοκες μὲν χιλιοδύναμιν* cet. Quem locum citans Harduinus ad Plin. l. l. addit duos reges, Polemonem et Philetaerum, illum Ponti Polemoniaci, istum Cappadociae, inter se certasse, uter prior

---

1 Isagog. init. Vid. et Salmas. Exerc. Plin. I. 481, qui fuse de hac mensura egit, quemque adeant qui plura velint. Male tamen ibi Philetaerus Bithyniae rex vocatur. Similem errorem Justini supra animadvertimus.

2 Hist. Nat. XXV. 28. 3 Lib. IV. c. 8.

chiliodynamam herbam invenerit. Fallitur autem Harduinus, ubi Philetaerum Cappadociae regem vocat. Tum et hujus atque Polemonis tempora non conveniunt. Namque Polemonem, Zenonis rhetoris filium, ad regnum Ponti opera Antonii pervenisse constat; quem filius ejusdem nominis in regno excepit, addita Cilicia a Claudio. Itaque credo illam plantam, de qua agitur, a Pergamenis botanicis sive inventam, sive melius quam antea cultam, Philetaeriam dictam fuisse; postea vero Polemonem, Ponti regem, sive patrem, sive filium, sibi inventionis honorem vindicasse.

Perpauca sunt, quae de Eumene I rege ab historicis traduntur. Attamen haud minus, quam Philetaerus avunculus, literis et doctis hominibus favisse diserte narratur. Arcesilas philosophus, Polemonis discipulus, hujus principis liberalitatem saepius expertus, quaedam suorum operum ei dicavit [1].

Queritur Pausanias jam suo tempore Attali I rerum gestarum memoriam magna ex parte abolevisse [2]. Quae tamen ex veterum scriptis colligere potuimus, supra notavimus. Insignem ejus in regno administrando prudentiam et rei militaris peritiam fuse exposuimus. Jam vero de eximio hujus regis in literas et artes studio hic agere nobis proposuimus, quoad ex dispersis monumentis fieri licebat; unde tamen apparet vix ullum principem inveniri, cui scientia et artes ingenuae magis cordi fuerint, quam huic Attalo.

Philosophi, poëtae, artifices, aliique ingenio aut doctrina praeclari ab Attalo beneficiis cumulati sunt. Idem Arcesilas, cui Eumenes faverat, etiam ab ejus successore benevole exceptus est. Legitur epigramma hujus philosophi in Attali regis

---

1 Vid. Diog. Laërt. vit. Arces. p. 250. Cf. Sevin. p. 211.

2 Attic. c. 6.

honorem apud Diogenem Laërtium [1]. Lacydes quoque, eodem teste [2], hujus munificentiae particeps fuit. Namque Attalus hortos, in quibus Lacydis discipuli convenire solebant, huic philosopho dono dedit [3]. Obtulit ei praeterea aedificia splendida in ipsa urbe Pergamo, quae tamen non accepta, respondente philosopho: »Regum imagines procul inspiciendas esse." Eodem quoque tempore floruit Ctesiphon poëta, qui regiis agris in Aeolide praepositus erat [4]. Vivebant etiam alii in aula Attali, quibus mandatum erat regis historiam conscribere, quod tamen turpi adulationi ansam dedit, ut videre est e fragmento Lysimachi de scientia et eruditione Attali, quod nobis servavit Athenaeus [5].

Neque vero tantum eruditis Attalus favit, sed et ipse libros conscripsit. In primis Historiae Naturali operam dedisse videtur. Quippe Strabo de arbore quadam picea mirae pulcritudinis, unde via ad vicum Celaenas ducebat, mentionem faciens, ita ait: *περὶ δὲ τῆς Καλῆς πεύκης, Ἄτταλος ὁ πρῶτος βασιλεύσας οὕτως γράφει κ. τ. λ.* [6]. Plinius quoque, ubi de incantandi formulis et deprecationibus agit, Attalum affirmare testatur, scorpione viso, si quis dicat *duo*, cohiberi nec vibrare ictus [7]. Quod tamen utrum ad Attalum primum, de quo agimus, an ad Philometorem referendum sit, dubitari potest. Ad nostrum tamen Sevinus [8] et Harduinus [9] retulerunt.

Pictores aliique artifices, non minus quam poëtae et philosophi ab hoc rege in honore sunt habiti. Narrat Plinius Aristidem Thebanum primum omnium animum pinxisse et hominis sensus expressisse. Eundem aegros pingendi arte tantum va-

---

1 l. c. p. 246.
2 p. 262.
3 Hi horti a possessore *Lacydium* dicti sunt.
4 Athen. XIV. p. 697.
5 p. 253.
6 Strab. Lib. XIII. p. 603.
7 Hist. Nat. XXVIII. 5.
8 Pag. 236.
9 Ind. Hist. ad Plin. Hist. Nat. in voce.

luisse, ut Attalus rex unam tabulam ejus centum talentis emisse feratur [1]. Idem Plinius refert Niciam, celebrem Atheniensem pictorem, Necromantiam Homeri [2] pinxisse, quam tabulam vendere noluerit Attalo regi talentis sexaginta, potiusque patriae suae donaverit, abundans opibus [3]. Plutarchus vero, de eadem pictura mentionem faciens, non Attalum, sed Ptolemaeum regem frustra ad Niciam sexaginta talenta misisse testatur [4].

Splendida quoque aedificia idem Attalus exstruenda curavit. Regia ejus domus Trallibus fuisse dicitur, quae postea, Vitruvio teste, semper ei dabatur habitanda, qui civitatis gerebat sacerdotium [5].

Florebat in Asia jam antiquissimis temporibus ars vestium subtiliter texendarum, qua in re etiam nostra aetate Asiae populi ceteris antecellunt. His vestibus aurum intexere primus invenit Attalus rex, unde et Attalicae dicebantur [6]. Proprio nomine *aulaea* vocabantur, quod primum in aula Attali, regis Asiae, qui populum Romanum scripsit heredem, inventa sunt [7]. Erant autem vela picta, quae in domibus tendebantur, ut imitatio tentoriorum fieret, sub quibus bellantes semper habitabant, unde et in thalamis hoc postea

---

1 Plin. Hist. Nat. XXXV. 36. Cf. et VII. 39.

2 Homeri *νεκρομαντεῖα*, quae Plutarcho, loco mox citando, uti et Ciceroni Tusc. I. 16 ac Longino *περὶ ὕψους* Sect. IX. *νεκυία* dicitur, est ea pars Odysseae, qua fingitur Ulysses ad inferos descendisse, umbrasque ibi allocutus fuisse. Cff. interpp. ad Plin. l. l. et Ernest. Clav. Cic. in voc.

3 Plin. Hist. Nat. XXXV. 40.

4 Plut. Tom. II. p. 1093. Cff. interpp. ad Plin. l. c. et Fr. Jun. de Pict. Vet. Cat. voce *Nicias*.

5 Vitruv. II. 8, Plin. XXXV. 49.

6 Plin. Hist. Nat. VIII. 74.

7 Serv. ad Virg. Aen. I. 701, Georg. III. 25.

fiebat. Silius vero Italicus aulaea Attalica non texta, sed acu picta refert:

»Quaeque Attalicis variata per artem
»Aulaeis scribuntur acu [1]."

Pulvinaria quoque et tori talibus aulaeis circumdabantur. Ita Catullus describit aulaeum continens historiam Ariadnes a Theseo derelictae [2]. Apud Propertium quoque de Attalicis vestibus, Attalicis aulaeis, Attalicis toris saepius mentio fit. Hinc Pergamenorum opes augebantur, florente mercatura [3]. Quae forte causa fuit, cur Smyrnaei, qui non minus quam hodie, tum jam tapetibus

---

[1] Lib. XIV. extr.

[2] Catull. carm. LXV, quod inscribitur *Argonautica*, ubi haec leguntur:

»Haec vestis priscis hominum variata figuris
»Heroum mira virtutes indicat arte.
»Namque fluentisono prospectans litore Diae
»Thesea cedentem, cet.
»Talibus amplifice vestis decorata figuris
»Pulvinar complexa suo velabat amictu."

Cf. et Fr. Jun. de Pict. Vet. II. 8.

[3] Hac de re ita Choiseul-Gouffierius Ch. XIII. p. 23: »Les arts de luxe, qui »naissent de l'opulence publique, avoient dès-lors fait les plus grands progrès dans »toute l'Asie: on y fabriquoit, on y a fabriqué depuis sans interruption, ces riches »tapis, dont l'Orient ne nous a que récemment communiqué l'usage, ces étoffes pré»cieuses et variées, que nos plus habiles ouvriers n'imitent pas toujours parfaitement. »Attale encouragea puissamment ces efforts d'une industrie née dans l'Inde, et que le »commerce intérieur avoit apportée jusque sur les côtes de la mer Égée. Il ajouta un »nouveau degré de richesse aux produits de ces manufactures; et les présens qu'il en »fit aux Grecs et aux Romains, en répandirent le goût chez ces peuples alors avides »de se procurer des jouissances long-temps inconnues à leur pauvreté. Les États du »roi de Pergame, déjà si favorisés de la nature, parvinrent sous son heureuse admini»stration à un point de prospérité, dont le souvenir se perpétua long-temps, et que »célébrèrent les poètes grecs et latins."

fabricandis valebant, constantissime in Attali fide prae ceteris populis manserint [1].

Praeter aulaea etiam calices potorii Pergami fingebantur, quos laudat Plinius [2]. An vero hoc jam ad Attali tempora referendum sit, pro certo affirmari non potest.

De insigni Attali cura in libris comparandis infra dicemus, ubi de Pergamena bibliotheca sermo erit.

Eumenes II, a patre liberaliter educatus, non tantum regni administrandi cura, sed et literarum amore Attali I aemulus fuit. Polybius, ut supra jam animadvertimus [3], eum in plerisque rebus nulli aetatis suae regum secundum, in rebus autem gravissimis ac pulcherrimis omnium maximum ac splendidissimum vocat. Idem testatur Eumenem Graeciae civitates ac plurimos sigillatim homines beneficiis suis locupletasse [4]. Quis autem dubitet eruditos ac philosophos prae ceteris ab eo benigne exceptos, cum hic rex fuerit, qui Pergamenam bibliothecam adeo auxit, ut a nonnullis conditor ejus haberetur. Suidas quoque et Diogenes Laërtius Eumenis in literas studium celebrant [5]. Ejusdem quoque regis favor in artifices scenicos colligi potest ex titulo Parisiensi, quem egregie illustravit Osannus [6]. Est hic titulus in honorem Cratonis, Zotichi filii, cui immunitates et privilegia permittuntur, cum ob alia ejus merita, tum quoque propter summam ejus benevolentiam *εἰς τοὺς βασιλεῖς καὶ βασιλίσσας καὶ ἀδελφοὺς τοῦ βασιλέως Εὐμένου.* Hoc ad

---

1 Vid. Polyb. V. 77.

2 Hist. Nat. XXXV. 12. Dubitari potest, utrum Plinii verba calices tantum, an alia quoque fictilia spectent. Qua de re probabiliter disputat Harduinus. Hinc Abbas Belleius (male citat Plinii Lib. XV) terram circa Pergamum fictilibus fingendis idoneam fuisse conjicit. Vid. Mém. de l'Acad. des Inscr. et bell. lett. T. XXXVIII. p. 148.

3 Pag. 67.

4 Polyb. XXXII. 23.

5 Vid. Suid. in Eum., Diog. Laërt. p. 303.

6 Syll. Inscr. Ant. Gr. et Lat. Sect. II. p. 352.

Eumenem II referendum esse merito censet Osannus, in primis quia regis fratres commemorantur, quod ad priorem Eumenem commode referri nequit. Crato vero, de quo agitur, in alia inscriptione Cantabrigiensi, quem idem memorat Osannus [1], vocatur *Περγαμηνὸς*, et *αὐλητὴς κύκλιος*. Idem socius adscriptus fuisse dicitur collegio *τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπὶ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου*. Quod collegium Osannus nihil differre censet a sodalitio Attalistarum, cujus mentio fit apud Strabonem [2] et in inscriptione apud Chishullum [3], contra Walpolii sententiam, qui Attalistarum collegium in tres ordines divisum fuisse statuit [4].

Jam vero quid ex his inscriptionibus colligi possit, paucis videamus.

Omnino facio cum Osanno *τὸ κοινὸν τῶν Ἀτταλιστῶν* et *τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν* unum idemque sodalitium esse censente. Scenicos enim ludos Baccho sacros fuisse, atque adeo e Bacchi cultu originem duxisse, nota res est. Quid igitur obstat, quo minus idem artificum grex et a Deo, quem colerent, et ab Attalicis regibus, quorum beneficentiam experti essent, nomen haberent? Hodie quoque histriones saepius regii dicuntur.

In titulo quidem Cantabrigiensi vs. 2 legitur *βασιλέως Εὐμένου Νικοτέλου* (sive *Νικοτέλους*, duabus literis extremis hodie incertis), in Cratonis vero epistolae fragmento, quod in lapide servatur [5], verba leguntur *θεοῦ Εὐμένου Ἀρισταίου*. De genitivi forma *Ευμένου* pro *ους*, non est quod moneamus. Haec enim in titulis frequens est. Quapropter Osannus nostri aevi Grammaticos carpit, qui hunc genitivum non agnoscant [6]. Sed de

[1] Sect. I. Append. p. 233. [2] Lib. XIV. 612.
[3] Antiq. Asiat. p. 139.
[4] Vid. Walpole Travels through various countries of the East. Append. I.
[5] Vid. Chish. Asiat. Ant. p. 145 seq. [6] Syll. Inscr. p. 239.

ipso nomine quaedam animadvertenda sunt. Egregie enim fallitur Osannus, ubi haec ait: »Genitivus duplicem explicandi »rationem admittit: est enim aut nomen patris, aut Eumenis »cognomen. Si autem patris est, germani debet esse patris »nomen, atque statuendum, Eumenem alio loco oriundum »adoptione demum Attali I adscitum fuisse. At haec magno »historiae dissensu statueris. Etenim Eumenem Plutarchus [1] »diserte tradit una cum fratribus Attalo, Philetaero et Athe»naeo communem habuisse matrem Apolloniadem, quae Attali I »uxor fuit: deinde idem Eumenes in titulo, quem ex Reiuesii »et Chandleri syllogis admovi, *βασιλέως Ἀττάλου* filius appel»latur. Igitur hac opinione missa, de altera videndum. Cre»dibile quum vix videatur Eumenem, duobus insignitum co»gnominibus, mox hoc, mox altero sine ullo appellationis »discrimine nominatum fuisse, illud in hac quaestione magni »esse videtur momenti, quod Eumenes, dum inter vivos fuit, »*Νικοτέλους*, ex quo autem apotheosi concessa *θεός* sive *divus* »factus est, *Ἀρισταίου* nomine auctus sit: quae an vera causa »fuerit appellationis diversae, ita quidem ut *Nicoteles* vivus, »*Aristaeus* mortuus appellatus sit, judicent me peritiores: hoc »unum addo, neutrum horum cognominum ab alio ullo anti»quitatis scriptore commemorari."

Haec interpretandi ratio, de qua et ipse auctor dubitat, me quidem judice, minime admittenda est. Imo prorsus aliter rem expediendam esse arbitror. Scilicet in utroque loco ante vocem *βασιλέως* legitur *ἱερέως*. Unde suspicor genitivos *Νικοτέλου* et *Ἀρισταίου* non ad Eumenem referendos, sed nomina esse sacerdotum. Itaque *ἱερέως βασιλέως Εὐμένου Νικοτέλου*, et *ἱερέως θεοῦ Εὐμένου Ἀρισταίου* recto casu scribendum esset *ἱερεὺς βασιλέως Εὐμένου Νικοτέλης*, et *ἱερεὺς θεοῦ Εὐμένου Ἀρι-*

[1] De fraterno amore Tom. II. p. 875.

σταῖος. Quo magis autem ita statuamus, facit eadem illa Cratonis epistola, in qua paulo ante legitur: *ἐπὶ δὲ ἱερέως τῶν τεχνιτῶν Κρατίνου*, de quorum verborum significatione nemo dubitabit.

De Cratonis aetate probabiliter disputat Osannus, qui eum sub Attalo II diem supremum obiisse censet. Pro certo haberi potest Eumenem II ante Cratonem vita defunctum fuisse, quandoquidem epistola supra memorata ita incipit: *βασιλεύοντος Ἀττάλου Φιλαδέλφου κ. τ. λ.*

De Cratonis patria non constat. In inscriptionibus allatis *Περγαμηνὸς* et *Καλχηδόνιος* vocatur. Utriusque eum civitatis, et Pergami et Chalcedonis, jure fruitum esse, civem alterutrius earum indigenam, Osannus merito conjicit.

Cum in titulo Cantabrigiensi legatur *ἐν τῇ βασιλέως Εὐμένου ἡμέρᾳ*, Osannus dubitat, utrum natalis ejus dies significetur, an is potius, (cui opinioni magis favet) quo ipso imperii primum potitus sit. Et sane doctissime agit de iis diebus, qui Graecis *ἐπώνυμοι ἡμέραι* vocantur. Ubi vero ait eos non quotannis, sed redeunte quovis mense, et festis et epulis celebrari solitos, id minus ad hanc inscriptionem referri posse arbitror, quia vs. 25 legitur *καθ' ἕκαστον ἔτος*.

In eadem inscriptione vs. 59, 60 Crato *αὐλητὴς κύκλιος* vocatur. Quod Walpolius vertit: »a player on the flute, who »performs publicly and gives lessons in his art in different »towns." Merito Osannus hanc explicationem improbat, annotationem citans ex Museo crit. Cantabr. [1], ubi legitur: »The »real meaning is, a flute-player in the Cyclic chorusses."

Ex his igitur colligas, Eumenis II et Attali II temporibus, in histrionum grege, qui Asiae urbes peragraret, Cratonem quendam tibicinem fuisse, qui, sive Pergami, sive Chalcedone

[1] VII. 478.

oriundus, tantam gloriam adeptus fuerit, ut et tituli honore et aliis multis beneficiis dignus judicaretur. Quin et e titulo Parisiensi, quem citavimus, manifestum est Cratonis imagines publicis locis collocatas esse, unam in theatro, alteram in Delo insula, tertiam denique quo Crato cunque loco vellet. Quo insigni honore in tibicinem collato, et de Attalistarum sodalitii dignitate, et de Pergamenorum regum in hunc gregem munificentia conjici potest.

Praeter hoc sodalitium memoratur etiam athletarum *κοινωνία ἐν Περγάμῳ* apud Reinesium [1]. Itaque bonas artes, corporis et animi, Pergamenis regibus in honore fuisse omnia testantur.

Sub ejusdem regis imperio membranae quoque, quae a Pergamo urbe nomen habent, repertae dicuntur, qua de re infra videbimus.

Etiam Attalum II literis favisse e paucis, quae restant, monumentis satis superque constat. Tradit quippe Athenaeus Attalum et Polemonem philosophum epistolas mutuas sibi invicem scripsisse [2]. Apollodorus ei Chronicon dicavit, ut diserte testatur Scymnus Chius [3], in quo Eratosthenis, Alexandrinae bibliothecae praefecti, chronologicas tabulas secutus est. Idem scripsisse videtur *Περγαμηνοὺς πίνακας*, quos citat Dionysius Halicarnassensis [4], et in quibus de vita et scriptis celebrium virorum, qui Pergami floruerant, judicio addito, agebatur. Certe Diogenes Laërtius semper Apollodorum citat, ubi de tali re sermo est [5]. Bitonis quoque librum *de belli machinis* sub hujus regis auspiciis editum Athenaeus memoriae

---

1 Vid. Osann. Syll. Inscr. Sect. I. Append. p. 235.

2 Athen. p. 346.

3 Pag. 2 et 3.

4 Tom. II. p. 188 ed. Oxon.

5 Vid. Recherches sur l'étude des anciennes histoires et sur le dégré de certitude de leurs preuves par M. Freret, Mém. de l'Acad. des inscr. et bell. lett. T. VI. p. 181.

prodidit [1]. Ibi quidem legitur *πάλαι βασιλεῦ*, sed Bitonis editor Galius in libris manuscriptis Attali nomen invenit, ita ut pro *πάλαι*, quod vix admittendum, *Ἄτταλε* scribendum censeat [2]. Lyconem etiam, e Troade philosophum, apud Attalum, Eumenem et Antiochum in pretio fuisse scribit Diogenes Laërtius in vita. Quin et societas grammaticorum Pergamenorum memoratur, qui scripta sua publici juris fecerunt [3].

Artium et in primis picturae non minus studiosus fuit, quam pater fraterque. Pro auxilio, quod Romanis tulit contra Achaeos, a L. Mummio complures tabulas egregie pictas dono accepit, ut supra jam diximus [4]. Imo Attali in artes studio et amore factum est, ut Romani pretium tabularum cognoscere coeperint. Qua de re ita Plinius: »Tabulis externis auctoritatem »Romae publice fecit primus omnium L. Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. Namque cum in praeda vendenda »rex Attalus VI mill. sestertium [5] emisset Aristidis tabulam, »Liberum patrem continentem, pretium miratus suspicatusque »aliquid in ea virtutis quod ipse nesciret, revocavit tabulam, »Attalo multum querente, et in Cereris delubro posuit: quam »primam arbitror picturam externam Romae publicatam [6]." Hanc Liberi patris picturam respicit Strabo [7], quo teste, Polybius ea, quae in Corinthi excidio evenerunt, deplorans, inter alia quoque commiseratione dignissima commemorasse dicitur militarem contemtum artificiosorum operum ac donariorum [8]. Ait enim se praesentem vidisse tabulas

---

[1] Pag. 634.
[2] Vid. Bit. p. 1. Cf. Sevin. p. 308.
[3] Dion. Hal. l. c. p. 179.
[4] Pag. 78.
[5] Viscontius non sine veri specie pro VI HS legendum censet VI DR. Vid. Iconogr. Gr. T. II. c. 9. p. 278 sq. not. 1.
[6] Plin. Hist. Nat. XXXV. 8.
[7] Lib. VIII. p. 381.
[8] Ipse Mummius, Vellejo Paterculo teste (Lib. I. c. 13), tam rudis fuit, ut, capta

pictas in solum projectas, ac milites super iis alea ludentes: nominatque eas Dionysum ab Aristide pictum, et Herculem Deianirae tunica excruciatum. Post hoc Polybii testimonium, pergit porro Strabo etiam suum adhibere: *τοῦτον μὲν* (Herculis tabulam) *οὐχ ἑωράκαμεν ἡμεῖς· τὸν δὲ Διόνυσον ἀνακείμενον ἐν τῷ Δημητρείῳ τῷ ἐν Ῥώμῃ, κάλλιστον ἔργον, ἑωράκαμεν. Ἐμπρησθέντος δὲ τοῦ νεὼ, συνηφανίσθη καὶ ἡ γραφὴ νεωστί* [1].

Etiam in Attali ultimi aula poëtae vixerunt. De Daphitae grammatici temeritate et poena supra locuti sumus; uti etiam de Nicandro [2], qui, Colophone natus, Damnaei filius fuisse dicitur. Idem Clarii Apollinis sacerdos fuisse, inque eo sacerdotio patri et majoribus successisse commemoratur. Etiam medicus et astrologus vocatur. De tempore, quo vixerit, dubitari nequit, si quidem Nicandri vitae auctor diserte ait eum floruisse *κατὰ Ἄτταλον τὸν τελευταῖον ἄρξαντα Περγάμου.* Quem regem in opere quodam non commemorato ita alloquitur:

Τευθρανίδης, ὃς κλῆρον ἀεὶ πατρώϊον ἴσχεις,
Κέκλυθι μηδ' ἄμνηστον ἀπ' οὔατος ὕμνον ἐρύξῃς,
Ἄτταλ', ἐπεὶ σέο ῥίζαν ἐπέκλυον Ἡρακλῆος,
Ἐξέτι Λυσιακῆς τε περίφρονος, ἣν Πελοπηῒς
Ἱπποδάμεια φύτευσεν, ὅτ' Ἄπιδος ἤρατο τιμήν.

Scripsit autem Nicander praeter alia multa, quorum nihil nisi fragmenta restant, duo carmina, quae supersunt, alterum *Θηριακὰ*, alterum *Ἀλεξιφάρμακα* [3]. Et sane credibile est istiusmodi poëmata

---

Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas esse reddituros.

1 Polyb. XL. 7., Strab. l. c. Cf. Franc. Jun. de Pict. Vet. Cat. in voc. *Aristides.*

2 Vid. pag. 2 et 81.

3 Utrumque edidit J. G. Schneider, illud quidem Lipsiae 1816, hoc vero Halae 1792.

de venenis et antidotis Attalo placuisse, qui non adeo literarum, quam historiae naturalis et medicinae studiosus fuit. Ejus in re herbaria curanda diligentiam his verbis extollit Plutarchus: Ἄτταλος ὁ Φιλομήτωρ ἐκήπευε τὰς φαρμακώδεις βοτάνας. Unde tamen fere non minus, quam e Justini antea citatis verbis colligere possumus eum hanc scientiam in perniciem suorum convertisse. Librum quoque scripsit de cultura agri, ut diserte testatur Plinius [1], uti et Varro his verbis: »Hi sunt, quos habere in consilio poteris, quum quid consulere voles: Hiero »Siculus et Attalus Philometor [2]." Sic etiam Columella: »Siculi »quoque," inquit, »non mediocri cura negotium istud (rem »rusticam) prosecuti sunt, Hieron et Epicharmus discipulus, »Philometor et Attalus [3]." Quo loco perperam nonnulli Philometorem et Attalum duo diversos esse auctores censent; quippe hoc Varronis testimonio satis liquet ultimum Attalidarum regum significari, qui propter pietatem adversus matrem Philometoris cognomen meruit [4]. Neque ab eo diversus videtur Attalus ille, quem thynni adipe ad oris ulcera usum fuisse Plinius memoriae prodidit [5]. Namque Attalum Philometorem omnis generis medicamentorum perquam studiosum fuisse affirmat

---

1 Hist. Nat. XVIII. 5. 2 De Re Rust. I. 1.

3 De Re Rust. I. 1.

4 Verba Columellae, Philometor *et* Attalus, idem valent ac Philometor *etiam* Attalus. Plinii quoque loco citato male legitur *Philometor, Attalus*; uti nonnullae editiones distingnunt. Sic et in indice libri XVIII omnes fere editi libri ita habent: *Hierone rege, Attalo rege, Philometore item.* Qua de re ita Harduinus (ind. auct. in voc.): »Importunum illud glossema *rege,* quod inventum est post Attali nomen, incautum ita »fefellit Fulvium Ursinum, in notis ad Varronem pag. 12, ut existimaret duos hic di»versos laudari a Plinio reges et scriptores. Verum ex Varrone intelligimus unius ejus»demque geminum illud nomen esse atque adeo legendum ἁπλῶς *Hierone rege, Attalo »Philometore item.*"

5 Hist. Nat. XXXII. 27.

Galenus, qui et ipse Pergami natus erat [1]. Idem testatur hunc ipsum Pergamenorum regem de medicinis ex animalibus scripsisse [2]. Celsus quoque mentionem facit emplastri ab hoc rege inventi [3].

Eundem Attalum ceris fingendis et aere fundendo procudendoque oblectatum Justinus refert, uti supra jam animadvertimus [4].

Omnes Pergami reges literarum studio fuisse deditos veterum testimonia, quae collegimus, satis indicant. Quis vero eorum primus celebrem illam bibliothecam condidit, quae, una Alexandrina excepta, ceteris omnibus praeluxit? Alii hujus rei laudem ad Attalum I, alii ad Eumenem II referunt. Nobis quidem Pergamena bibliotheca Eumenis temporibus antiquior videtur. Sed res digna est, quam paulo altius repetamus.

Narrat Strabo Aristotelem omnium primum libros collegisse et Aegyptios reges bibliothecae ordinem docuisse [5]. Quanto

---

1 Vid. Gal. *κατὰ γένη*. I. 13. p. 657 et de antid. I. 1. p. 865.

2 Gal. de fac. simpl. med. X. 1. p. 275. Cf. et Hard. ad Plin. ind. auct. in voc. *Attalus*.

3 Cels. Lib. V. c. 19. p. 262. Cf. et Hecker Geschichte der Heilkunde I. Bd. V. Abschn. § 52. p. 347, 348.

4 Justin. XXXVI. 4. Cf. quae diximus, p. 82.

5 Operae pretium arbitror ipsa Strabonis verba de fatis Aristotelicae bibliothecae hic addere. Vid. Lib. XIII. p. 608, 609, ubi haec legimus: *»Ἐκ δὲ τῆς Σκήψεως οἵ τε Σωκρατικοὶ γεγόνασιν Ἔραστος καὶ Κορίσκος, καὶ ὁ τοῦ Κορίσκου υἱὸς Νηλεύς ἀνὴρ Ἀριστοτέλους ἠκροαμένος καὶ Θεοφράστου, διαδεδεγμένος δὲ τὴν βιβλιοθήκην τοῦ Θεοφράστου, ἐν ᾗ ἦν δὲ ἡ τοῦ Ἀριστοτέλους· ὁ γὰρ Ἀριστοτέλης τὴν ἑαυτοῦ Θεοφράστῳ παρέδωκεν· ᾧπερ καὶ τὴν σχολὴν ἀπέλιπε, πρῶτος ὧν ἴσμεν συναγαγὼν βιβλία, καὶ ἐπιδιδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Θεόφραστος δὲ Νηλεῖ παρέδωκεν· ὁ δὲ εἰς Σκῆψιν κομίσας τοῖς μετ' αὐτὸν παρέδωκεν, ἰδιώταις ἀνθρώποις, οἳ κατάκλειστα εἶχον τὰ βιβλία, οὐδ' ἐπιμελῶς κείμενα· ἐπειδὴ δὲ ᾔσθοντο τὴν σπουδὴν τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων, ὑφ' οἷς ἦν ἡ πόλις, ζητούντων βιβλία εἰς*

studio Ptolemaeus Lagi ejusque successores huic rei operam dederint, cuivis satis notum est. Qui quum magnam gloriam sibi inde adepti essent, reliquos fere omnes Asiae reges ardor librorum comparandorum invasit. In primis Homeri scripta magni aestimabantur, in quibus et ipse Alexander Magnus criticas facultates exercuerat, exemplari uti solitus ab Aristotele aliisque eruditis castigato. Et hunc imitati, et ipsa Homericorum carminum dulcedine capti, Aegyptii reges aliique Asiae principes sibi exemplaria quam maxime emendata et illustrata comparare studebant [1]. Ita legimus Aratum, qui Homeri Odysseam in ordinem redegerat, ab Antiocho Sotere, Syriae rege, rogatum fuisse, ut Iliadi eandem curam adhiberet [2]. Regibus ita libros colligentibus, inter privatos quoque multi fuerunt, qui inde sibi lucrum peterent [3]. Imo Galenus ante id tempus

---

τὴν κατασκευὴν τῆς ἐν Περγάμῳ βιβλιοθήκης, κατὰ γῆς ἔκρυψαν ἐν διώρυγί τινι· ὑπὲρ δὲ νοτίας καὶ σητῶν κακωθέντα, ὀψέ ποτε ἀπέδοντο οἱ ἀπὸ γένους Ἀπελλίκοντι τῷ Τηΐῳ πολλῶν ἀργυρίων, τά τε Ἀριστοτέλους καὶ τὰ τοῦ Θεοφράστου βιβλία. Cff. VV. DD. ad h. l. De Apelliconte vid. Athen. V. 14. I. 2 et Plut. in vit Syllae.

[1] Quantopere Homerus, apud Aegyptios certe reges, in honore fuerit, testatur haec de Zoilo narratio apud Vitruv. VII. praef. »Zoilus, qui adoptavit cognomen ut *Homeromastix* vocitaretur, Alexandriam venit, suaque scripta contra Iliadem et Odysseam »comparata regi recitavit. Ptolemaeus vero cum animadvertisset poëtarum parentem philologiaeque omnis ducem absentem vexari, et cujus ab cunctis gentibus scripta suspicerentur, ab eo vituperari, indignatus nullum ei dedit responsum: Zoilus autem cum »diutius in regno fuisset inopia pressus, summisit ad regem postulans, ut aliquid sibi »tribueretur. Rex vero respondisse dicitur: Homerum, qui ante annos mille decessisset »aevo perpetuo multa millia hominum pascere; item debere, qui meliori ingenio se »profiteretur, non modo se unum, sed etiam plures alere posse."

[2] Vid. Suid. I. p. 309, Auct. vet. vit. Arati in Petav. Uran. p. 270. Cf. Benj. Constant de la Religion Tom. III. Lib. VIII. c. 3. p. 351.

[3] Hac de re ita Winckelmannus Gesch. der Kunst des Alterthums Tom. II. cap. 3. p. 376: »Zu Pergamus liessen diese Könige (Attalus und Eumenes) eine grosse Bibliothek anlegen; es würden aber auch von den Gelehrten an diesem Hofe untergeschobene

nullum librum falso nomine suppositum censet. Namque auctoritatem libri Hippocratei ex Platonis testimonio ita firmat: *πρὶν γὰρ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς ἐπὶ κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα· λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιοῦ τινος ἀνδρὸς, οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοντες ἐκόμιζον* [1].

Neque Galenus tantum, sed et alii veteres scriptores, ubi de bibliothecis sermo est, Aegypti et Pergami reges saepe conjunctim nominant. Quin et Vitruvius Pergamenos reges apud Aegyptios bibliothecam instituendi studium excitasse refert. Ait enim: »Reges Attalici magnis philologiae dulcedinibus in»ducti, cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem »delectationem instituissent; tunc item Ptolemaeus, infinito zelo »cupiditatisque incitatus studio, non minoribus industriis ad »eundem modum contenderat Alexandriae comparare." [2]. Immerito tamen Sevinus e Plinii sententia incertum esse arbitratur, quinam Aegyptiorum vel Attalidarum regum primi bibliothecas instituerint [3]. Hic enim auctor, ubi de clarorum virorum imaginibus mentionem fecit, ita pergit: »Non est praetereundum »et novitium inventum. Si quidem non solum ex auro argen»tove, aut certe ex aere in bibliothecis dicantur illi, quorum »immortales animae in locis iisdem loquuntur: quin imo etiam, »quae non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi »vultus, sicut in Homero evenit. Quo majns, ut equidem ar-

---

»Schriften unter dem falschen Namen älterer Scribenten geschmiedet, und die Gelehrten »in Alexandrien stritten mit jenen um den Vorzug in diesem Betruge. Man sollte beynahe »hieraus schliessen, dass auch in der Kunst mehr Copien, als eigene ursprüngliche Werke »hervorgebracht worden."

1 Galen. comment. in Hipp. de nat. hom. I. p. 127. ed. chart. B. Cf. Heyn. de gen. sec. Ptolem. Opusc. 1. p. 127.

2 Vitruv. Lib. VII. praef.

3 Mém. de l'Acad. des Inscr. Tom. XII. p. 239.

»bitror, nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes »scire cupere, qualis fuerit aliquis. Asinii Pollionis hoc Romae »inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum »rem publicam fecit. An priores coeperint Alexandriae et Per- »gami reges, qui bibliothecas magno certamine instituere, »non facile dixerim." [1]. Itaque Plinius tantum se dubitare significat, num hi reges bibliothecas suas etiam auctorum imaginibus ornarint.

Verosimile est Philetaerum prioremque Eumenem, qui et opibus valebant, et literarum amore flagrabant, jam librorum comparandorum studiosos fuisse. Verum tamen Attalus, qui primus Rex cognominatus est, celeberrimae Pergamenae bibliothecae conditor videtur, quam ejus successores et in primis Eumenes, hujus nominis secundus, valde auxerunt [2]. Credibile est etiam Attalicos reges ea, quae ad bibliothecam augendam collegerant scripta separata habuisse, ut omnes scirent, quid cuivis regum deberent. Strabo certe et Plutarchus plures Pergami bibliothecas commemorant [3].

Recte Sevinus refellit eos, qui Eumeni [4], non Attalo, bibliothecae inchoandae gloriam tribuunt. Legitur enim apud Diogenem Laërtium Athenodorus, hujus bibliothecae praefectus, e libris Stoicorum ea placita delevisse, quae minus probabat. Fuit autem Athenodorus, teste eodem auctore, Zenonis disci-

---

1 Plin. Hist. Nat. XXXV. 2.

2 Ad hunc Eumenem Aristonymus, poëta comicus et Alexandrinae bibliothecae praefectus, cum sive sponte sua, sive arcessitus, se conferre vellet, a Ptolemaeo Epiphane in carcerem conjectus est. Vid. Dissertation Historique sur la Bibliothèque d'Alexandrie par M. Bonamy Mém. de l'Acad. des Inscr. Tom. IX. p. 404.

3 Strab. XIII. p. 624, Plut. in Anton. p. 943. Cf. et Sevin l. l.

4 Scaliger Eumenem I bibliothecae conditorem fuisse ait. Attamen Eumenem II, quem falso Philetaeri fratris filium vocat, significare eum voluisse verosimile est. Vid. Bonamy Diss. laud. p. 398.

pulus, cujus mors incidit in Olympiadem centesimam vigesimam nonam. Itaque inter Zenonem mortuum et Eumenis regni initium sedecim Olympiades praeterierant: unde patet Athenodorum, florente Eumene, jam valde senem fuisse [1].

Aemulatione circa bibliothecas regum Ptolemaei et Eumenis, supprimente chartas Ptolemaeo, Varro membranas tradidit Pergami repertas [2]. Alii vero hoc ad Attali tempora referunt. Hieronymus, de literarum raritate expostulans: »Chartam," inquit, »defuisse non puto, Aegypto ministrante commercia: »et si alicubi Ptolemaeus maria clausisset, tamen rex Attalus »membranas a Pergamo miserat, ut penuria chartae pellibus »pensaretur. Unde et Pergamenarum nomen ad hunc usque »diem, tradente sibi invicem posteritate, servatum est." [3]. In ea vero re nihil dissensionis esse censet Dalecampius [4], quum ut suos omnes reges Ptolemaeos Aegyptus, ita et suos Attalos Pergameni cunctos nuncupaverint. At omnino a Plinio dissentiunt, qui membranarum inventionem Crateti grammatico tribuunt. Hic enim Attali primi legatus Romam fuit. De quo ita scribit Joannes Lydus. *ἔρματα γὰρ τὰ ἐκ προβάτων ἀποξέσας εἰς λεπτὸν ἔστειλε τοῖς Ῥωμαίοις, τὰ λεγόμενα παρ' αὐτοῖς μέμβρανα. Εἰς μνήμην δὲ τοῦ ἀποστείλαντος ἔτι καὶ νῦν οἱ Ῥωμαῖοι τὰ μέμβρανα Περγαμηνὰ καλοῦσι.* Quem locum citans Salmasius in aliis excerptis ita se reperisse ait: *Κράτης ὁ γραμματικὸς ὑπάρχων μετὰ Ἀττάλου τοῦ Περγαμηνοῦ ἐκ δερμάτων ἔκαμε μεμβράνας, καὶ ἐποίησε τὸν Ἄτταλον ἀποστεῖλαι αὐτὰς εἰς Ῥώμην, ὅθεν εἰς μνήμην τοῦ ἀποστείλαντος μέχρι τοῦ νῦν Περγαμηνὰ τὰς μεμβράνας κα-*

[1] Vid. Diog. Laërt. VII. p. 286, Sevin. l. l. Neque tamen video, cur Sevinus Athenodoro *centum* annos tribuat, quo tempore Eumenes Attalo successit.

[2] Varro ap. Plin. Hist. Nat. XIII. 21.

[3] Vid Hieron. ep. ad Chrom., quem citat Harduinus ad Plin. l. l. Ceterum cuivis notum est Pergamenae chartae nomen non tantum Hieronymi, sed et nostram aetatem tulisse.

[4] Ad Plin. l. c.

λοῦσι [1]. Tzetzes quoque idem inventum Crateti grammatico tribuit [2].

De hac autem inventione ita statuendum videtur, Pergamenos quidem membranarum usum frequentiorem vulgasse, pellibus melius quam antea politis et ad chartam, in qua scriberetur, accommodatis; verum tamen jam multo ante in pellibus caprinis, ovillis, vitulinis scribi solitum fuisse, quod diserte testantur Herodotus et Josephus [3].

In Pergamena bibliotheca fuisse ducenta voluminum millia, auctor est Plutarchus, quae omnia Antonius postea Cleopatrae dono dedit [4].

Haec sunt, quae de Pergamenorum regum in literas et artes meritis ex veterum scriptis colligere potui. Posteris temporibus, praeter celeberrimum illum Galenum, jam saepius commemoratum, ejusque patrem Niconem, Telephus quoque grammaticus anno aerae vulgatae centesimo decimo octavo Pergami natus fuisse dicitur, qui inter alia multa patriae quoque suae historiam scripserit [5]. Quod vero ad fabriles artes attinet, Martialis suo tempore Pergami strigiles fabricari solitas fuisse, hoc epigrammate significat:

»Pergamus has misit, curvo distringere ferro:
»Non tam saepe teret lintea fullo tibi." [6].

---

1 Exercit. Plinian. p. 650. 2 Chil. p. 230.

3 Herod. V. 58, Joseph. Ant. Lib. XII. Qui hac de re plura velint, adeant interpp. ad Plin. l. c. et Polyd. Vergilium de rerum inventoribus Lib. II. cap. 8.

4 Plut. in Anton. l. c. 5 Encyclop. voc. *Pergamo.*

6 Lib. XIV. Epigr. 51.

CAPUT III.

De Pergamenorum diis et rebus sacris.

Teuthraniam, quam Pergameni incolebant, ipsis testibus, Cabirorum olim sacram terram fuisse narrat Pausanias; sed ab nullo alio veterum scriptorum, quantum scio, in Pergamenis rebus Cabirorum mentio facta est. Itaque operae pretium erit de hoc Pausaniae loco et de reliquorum scriptorum silentio aliquanto accuratius agere, ut probe cognoscamus, quid indé conjici liceat.

Finibus Gallograeciae et Pergamenae ditionis descriptis, commemorata quoque victoria, quam Pergameni de Gallis reportaverant, Pausanias haec addit: »*γῆν δὲ νέμονται οἱ Περγαμηνοὶ, Καβείρων ἱεράν φασιν εἶναι τὸ ἀρχαῖον. αὐτοὶ δὲ Ἀρκάδες ἐθέλουσιν εἶναι τῶν ὁμοῦ Τηλέφῳ διαβάντων ἐς τὴν Ἀσίαν.*" [1]. Dubitari potest, utrum h. l. *incolae* an *dii* Cabiri vocentur; sed ntroque modo *sacra* terra habebatur. De Cabirorum cultu, qui in Asia et insulis Aegei maris, in primis in Lemno et Samothracia, vigebat, multi viri docti, praecipue in Germania, diligenter scripserunt; in his Creuzerus, Schellingius, Lobeckius, Otfr. Mullerus, Welckerus, Böttigerus, alii; qui tamen minime inter se conveniunt, imo suam quisque de Cabiris opinionem babent. Cum vero nulla in re facilius, quam in mythicis a vero aberremus et de nostro judicio praejudicatam opinionem habeamus, vix meam sententiam proferre auderem, nisi historica de Pergamenis rebus disquisitio ita postularet; quod tamen, quantum fieri potest, paucis absolvam.

Originem vocis Cabiri alii Graecam putant (a *κάω*, caelo, vel a *καίω*, uro) alii ex Arabica vel Hebraica lingua ducendam

[1] Lib. I. c. 4.

arbitrantur. Eam ex Oriente petendam esse, mihi idcirco verosimile videtur, quod Cabirorum cultus ex Asia in Europam pervenisse credibile est. Quin et Ponti urbs *Κάβειρα*, sive *Κάβηρα*, Berecynthiae mons *Κάβειρος*, Persarum *Gabirim*, Indorum *Bhagt Cabir*, et alia multa talem originem spectant [1].

Jam vero Cabiri filii fuisse dicuntur Vulcani et Cabirae, quam nullam aliam esse atque Astarten omnino verosimile est. Alii duos, plerique tres, nonnulli septem vel novem Cabiros numerant. Vulgo in numis et aliis monumentis malleus iis additur [2]; neque hoc tantum, sed multa quoque alia ostendunt Cabirorum cultum haud dubie artem aeris et ferri fabricandi respicere. Attamen cum iidem saepius *μεγαλοὶ θεοὶ* dicantur, neque tantum cum Venere, verum etiam cum Cerere, Cybele, Diana multum commune habeant, eos inter Deos summum locum obtinere plures existimant, certe Vulcani ministros esse prorsus negant. Sub Cabiris alii cum Strabone Curetes et Corybantes intelligunt, alii cum Varrone Penates, alii Dioscuros, alii Solem et septem Planetas; alii alio modo rem tam difficilem explicare tentant. Ego vero in tali labyrintho viam quaerere non conabor. Sed ex iis, quae humanae naturae sunt consentanea, quaeque aliorum populorum historia docet, id colligi licet, fuisse jam antiquitus fabrorum sodalitia ad templa aedificanda et moenia construenda [3]. Inter hos alii (*τέκτονες*) manibus tantum, alii (*ἀρχιτέκτονες*) magis ingenio et auctoritate opus conficiebant aut administrabant. Illi quidem, superstitionibus dediti, numina quaedam Cabiros operi suo vel

---

1 Lobeck Aglaopham. p. 1282, Creuz. Symb. II. 313, Böttig. Amalth. III. 87 sq.

2 Vid. ex. gr. Cabiri pumilionis effigiem in numo ap. Creuz. Symp. I. 532 et alium Cabirum Romana veste indutum ap. Chois-Gouff. Tom. II. Tab. XVI. p. 155 sq.

3 De his sodalitiis egregie scripsit Böttigerus *Versuch einer Darstellung der technischen und architektonischen Vereine und ihrer Wirksamkeit.* Amalth. III. p. 78 sq.

adesse, vel etiam aliquando nocere credebant. Hi vero, vulgi opinione callide usi, quo melius mandata perficerentur, tali superstitioni favebant, et sodalitii officia, leges, instituta mysteriis et arcanis ritibus involvebant, Cabirorumque cultum inducentes, nonnunquam ipsi pro diis sunt habiti. Ubi vero creverat haec de Cabiris opinio, eorumque cultus percrebuerat, multis quoque ritibus, qui ad alios deos pertinebant, auctus, haec numina magis magisque in honore sunt habita et tanquam *μεγαλοὶ θεοὶ* coli coeperunt. Sic igitur mihi hujus cultus originem et progressum fingo, neque hanc meram esse suspicionem ostendunt ea, quae recentiori aevo fieri videmus. Qui metalla scrutantur aut carbones effodiunt, suos habent genios, saepius quoque *magnos* vocatos [1]. In aggeribus construendis daemonem quendam maris aut fluvii sibi adesse credunt operarii. Nautae suum cuique navi genium tribuunt. Quin et opifices inter sanctos sibi patronum quaerunt, genioque maligno ea, quae minus prospere cedunt, tribuere solent [2].

Haec satis ampla digressio necessaria erat, ut ostenderem Cabiros, etsi *magni* dii audiunt, minime confundendos esse cum Graecorum Superis Olympum habitantibus aut Romanorum Diis majorum gentium. Ideoque, ut ad Pergamenos redeam, non facile quis mihi persuadebit Aesculapium, Hygieam, Telesphorum *σωτῆρας θεοὺς*, de quibus mox agemus, tres fuisse Cabiros, qui his nominibus Pergami colerentur. Quid enim causae esset, cur nusquam Cabirorum mentio fieret? Imo Pausanias id tantum significat Pergamenos sui temporis (flo-

---

[1] An nostratium *Kabouter*, Germanorum *Kobolt*, Gallorum *Gobelin*, Anglorum *Hob Goblin*, quae nomina his geniis tribuuntur, cum Cabiris cognata sint, dubitari potest.

[2] Typographorum officinam in Anglia ab operariis sacrarium (*Chapel*) vocari, in quo credant versari daemonem (*spirit*), cognomine *Ralph*, narrat Franklinus in vita Ed. Walk. p. 56.

ruit autem seculo nostrae aerae secundo) hanc quidem Asiae regionem antiquitus Cabirorum sacram fuisse arbitratos; sed nihil de horum numinum cultu memorat. Contra vero ubi addit, ipsos Pergamenos ab Arcadum colonia genus ducere, facit ut credamus eos hinc sibi deorum cultum petivisse. Quoque magis ita statuam, facit alius Pausaniae locus, ubi simulacra Aesculapii et Hygieae in Arcadia commemorat, ibique Jovem *σωτῆρα* cognominatum fuisse, Proserpinam et Dianam *σωτείρας*, memoriae prodit [1]. Jam vero quantum ex veterum scriptis et numis colligi possit, de singulis Pergamenorum diis videamus.

Omnium deorum, qui Pergami colebantur, profecto Aesculapius maximos honores consecutus est. Solennes hujus dei *Θεωρίαι* sive *Ἀσκλήπια*, pront in numis vocantur, omnem olim Asiam Pergamum concivere. De magnificentissimo, quod ei dicatum erat, templo supra locuti sumus. Cultum ejus Epidauro Pergamum traduxit Archias, Aristaechmi filius, postquam a convulsione membrorum, qua inter venandum correptus fuerat, Epidauri sanatus erat [2]. Hinc *Pergamenus* hic deus vocatur in inscriptionibus apud Gruterum [3] et Reynesium [4], uti et

---

1 Lib. VIII. 30, 31.

2 Pausan. Corinth. cap. 26.

3 Inscr. MLXXIII. 5.

ΑΣΚΛΗΠΙΩ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩ
ΥΓΕΙΑ
ΤΕΛΕΣΦΟΡΙΩΝΙ
ΘΕΟΙΣ
ΣΩΤΗΡΣΙ
ΠΟΛΙΣ.

4 Synt. Class. I. CXV. p. 154. Haec inscriptio posteriori sui parte mutila est, ubi tamen nomina COSS. Sex. Non. CeleRE et Iunio QointiLiANO ex Frontino restituit Reynesius. Cf. et Liebe Goth. Num. Cap. X. § 10. p. 340.

Pergameus apud Martialem [1], ideoque Galenus, qui Pergami natus erat, τὸν πάτριον θεὸν Ἀσκληπιὸν haud semel vocat [2]. Huc quoque spectant Sereni Sammonici versus, ubi de Aesculapio ait:

»Tuque potens artis, reduces qui tradere vitae
»Nosti, atque in coelum manes revocare sepultos,
»Qui colis Aegaeas, qui Pergama, quique Epidaurum" [3].

Ad hoc templum ingens numerus confluebat eorum, qui morbi remedia quaerebant [4], ibique et imperator Caracalla frustra deum consuluisse dicitur. Remedia a deo in somniis significari credebantur. Idem quoque templum asylum fuit, adeo sanctum, ut, quum Tiberius in compluribus urbibus asyla aboleret, hoc tamen inviolatum permanserit [5]. Quo tempore Mithridates Romanos persequebatur, multi huc confugerunt, sed frustra. Mithridates iis non pepercit. In hoc quoque templo C. Fimbria proconsul, a quo milites defecerant, cum Syllam implacabilem

---

AESCVLAPIO PERGA
MENO SACRVM
L. ANTONIVS
. . . . . RVSCVM
. . . . . L. POLNA
. . . . . RE ET
. . . . . . ANO.
COSS
L. D. D. D.

Lib. IX. Epigr. 17, ubi haec leguntur:

Consilium formae, speculum, dulcesque capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo.

[2] De Sanit. tuend. I. p. 226, de Libr. Propr. p. 362 Tom. IV. ed. Graec. Basil. Cf. et Spanh. ep. ad Mor. II. § 1.

[3] De med. praec. vs. 3 sqq.

[4] Philostrat. de vit. Apollon. IV. 11.

[5] Tacit. Annal. III. 63.

fore crederet, gladio se transfixit [1]. Aesculapii templum intrare non licebat illis, qui Telepho immolarant, prius quam corpus abluissent [2]. Ab eodem Telepho in Aesculapii sacris, quae Pergami fiebant, hymnos exordiebantur, at vero nihil laudis Eurypylo, Telephi filio, impertiebant; quin et illum in eo templo nominari nefas habebant, tanquam interfectorem Machaonis, cui Aesculapius pater fuerat [3]. Simulacrum dei, insigni artificio a Phylomacho fabricatum, ex hoc templo Prusias humeris suis impositum abripuit [4]. In numis et inscriptionibus Aesculapius saepius *Σωτὴρ* cognominatur.

Sacra in honorem Aesculapii maxima solennitate Pergami celebrabantur. Horum mentio fit in inscriptione, ubi legitur *ΠΕΡΓΑΜΟΝ ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ ΤΡΑΙΑΝΕΙΑ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ* [5]. *Sacra* et *magna* insuper vocantur *ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ*, aut una voce *ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ* [6]. Aristides quoque *τὰ τῶν ἱερῶν Ἀσκληπίων ἆθλα* memorat [7]. Idem loquitur de iis, qui Pergamum ibant *τῶν θεωριῶν ἕνεκα*, quibus eadem illa solennia *Asclepia* significari videntur [8]. Etiam *Διὸς Ἀσκληπιοῦ* aedem memorat Aristides, quod nomen in numis quoque legitur [9]. In celebri, quae festis diebus agebatur, pompa dei imagini faces accensae praeferebantur, quae et in aede Aesculapii apud Pergamum accendi solebant.

---

[1] Ita Appianus Mithrid. c. 60. Sed Plutarchus in vit. Syll. ed. Xyl. p. 467 Fimbriam in castris se occidisse refert.

[2] Pausan. Eliac. cap. 13.

[3] Pausan. Lacon. 26.

[4] Polyb. de virt. et vit. 31.

[5] Marm. Oxon. p. 70. Cf. Spon. Misc. p. 367 et Spanh. ad Morell. Ep. I. § 15.

[6] Rasche Lex. Num. in voce.

[7] In Orat. Pergami die Apellae natali habita Tom. I. p. 131.

[8] Serm. sacr. II. sub fin. Tom. I. p. 540, ubi Canterus verterat *ad nundinas*, quem recte refellit Spanh. ad Morell. Ep. II. § 1.

[9] Hymn. in Aescul. p. 67. Serm. sacr. Tom. I. p. 497, 501. Cf. et Spanh. l. c.

Harum facium peculiaris et velut mystica ratio fuisse dicitur: quibus nempe ad se, tanquam ad publicum Asiae *focum* sive *ἑστίαν* (ita enim Aesculapii templum vocat Aristides [1]) euntibus undique ejus opis indigis praelucebat Pergamenus hic Deus, idemque inde *δᾳδοῦχος* et *μυσταγωγὸς* ibi appellatus [2]. Coronis quoque, Aesculapii mater, uti et Hygia ac Telesphorus, Dei comites, Pergamenos numos frequenter occupant. Narrat Pausanias [3] Euamerionem a Pergamenis ex quodam oraculo Telesphorum vocari [4]; de quorum nominum significatione multa habet Creuzerus [5]. Coronidis nomen legitur in Sabinae, Hadriani uxoris, numo, quem exhibet Choiseul-Gouffierius [6]. Caput Sabinae conspicitur cum literis *CEBACTH CABEINA*. Altera parte effigies deae velo cinctae, cum inscriptione *ΚΟΡΩΝΙC ΕΠΙ CΤΡ ΠΩΛΛΙΩΝΟC*. In Aesculapii quoque templo tripus erat cum statuis aureis Aesculapii, Coronidis et Telesphori [7].

Jovem quoque magno honore Pergami cultum fuisse, jam inde patet, quod Nicephorium, quem lucum, ut supra vidimus, a Philippo vastatum iterum consevit Eumenes II, Jovi sacrum fuisse dicitur [8]. Quin et *Ζεὺς Νικηφόρος* legitur in numo, quem citat Belleius [9]. In aliis numis, quos etiam citant Pellerinius et Vaillantius, cognomen *πεῖος* (Belleio *bonus*, *benignus*) et *φίλιος* additur. Harduinus haec ad Jovem Pluvium refert, qui, quod pluvias benigne indulgeret, dictus sit *πεῖος*,

1 Orat. de Urb. conc. Tom. II. p. 304.
2 Spanh. l. c. § 7. 3 Lib. II. cap. 11.
4 Vid. Eckh. Doctr. vet. num. Tom. II. p. 465, 468.
5 Symb. II. p. 398 sqq.
6 Voyag. pitt. Tom. II. Tab. 5. N. 11 et p. 54.
7 Mém. de l'Acad. des Inscript. Tom. XXXVIII. p. 157.
8 Vid. supra pag. 23 et 97. Cf. Strab. XIII. 624.
9 Mém. de l'Acad. XXXVIII. p. 156.

quod ex Aeolensium vel Ionum lingua idem esset ac *φίλιος*. Quam opinionem merito refellit Eckhelius [1]. De altero cognomine idem Eckhelius haec ait: »Jupiter dictus est *Φίλιος* et *Ἑταί-*»*ρειος*, amicitiae praeses, quod omnes homines in unum cogit, »et vult esse inter se amicos, ut explicat Dio Chrysostomus [2]. »Cultus etiam fuit ab Arcadibus [3], passimque per eum veteres, »praecipue in sermone familiari, jurare sunt soliti. Lepide »Diodorus Sinopensis apud Athenaeum [4] Jovem hunc Philium »parasiticae auctorem statuit, nempe qui omnium domos in-»greditur, et sicubi lectum bene stratum viderit, mensamque »admotam, ocyus accumbit, expletusque cibo exit, parum de »symbolis anxius. Eidem, imperante Galerio Maximino, Theo-»tecnum quendam praestigiatorem Antiochiae posuisse simula-»crum narrat Eusebius" [5]. Pausaniae autem loco citato Jovis Philii fanum, cum statua a Polycleto facta, fuisse dicitur in area circumsepta magnarum dearum ad Helissontem fluvium. Hinc suspicor, hujus dei cultum ab Arcadum colonia, Telepho duce, Pergamum fuisse translatum. In Trajani quoque numo, quem memorat Spanhemius [6], Jupiter sedens conspicitur cum victoria et hasta, et Trajanus ante eum stans. Additur inscriptio *ΦΙΛΙΟΣ ΖΕΥΣ ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ*. Verosimile est, Pergamenos Imperatori, cui multum deberent, ut gratum animum significarent, nomen dedisse dei, quem jam ab antiquissimis temporibus summo honore colere soliti essent.

Apud eundem Spanhemium alius numus exstat, in quo

[1] Doctr. vet. num. II. p. 516, ubi Ephesios se *Πείους* dixisse refert ex nomine imperantis tum Antonini Pii. Quo magis autem Eckhelii sententiae faveam, faciunt numi Pergameni in quibus legitur *σεβάστων Περγαμήνων*, qui eodem modo ab Augusti nomine ita dicuntur.

[2] Orat. I. [3] Pausan. VIII. 31. [4] Lib. VI. p. 239.

[5] Hist. Eccl. IX. 3, laud. Eckh. Doctr. vet. num. II. p. 465.

[6] Epist. ad Morell. II. § 8.

Jupiter imberbis, nudus, cum hasta et fulmine, inter solis et lunae capita. Infra Jovis imaginem est aquila inter duos fluvios accumbentes. Sub hac Jovis effigie Imperatorem Commodum significari merito censet Spanhemius, qui et reliqua copiose explicat et illustrat. Fluvios esse Selinum et Cetium, quae nomina in aliis numis adduntur, vix est quod dubitemus.

Praeter Aesculapium et Jovem alia quoque multa numina Pergami colebantur. Ita Veneris Paphiae cultum ibi viguisse ait Belleius [1] eumque Sardibus ad Pergamenos pervenisse censet. Huc respicit numus, quem exhibuit Choiseul-Gouffierius [2], et ante eum Spanhemius [3]. Altera parte caput est juvenis cum inscriptione *ΕΥΡΥΠΥΛΟC ΗΡΩC*. Altera parte lapis, coni formam habens, quo symbolo dea significari creditur, intra templum, cui subscribitur *ΠΑΦΙΑ*. Praeterea in circuitu legitur *ΕΠΙ CΤΡΑ ΠΩΛΛΙΩΝΟC ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ*. Merito autem Choiseul-Gouffierius difficile esse censet de hoc numo statuere. Cur enim Eurypylus et Venus in uno eodemque numo conjungantur, non intelligere se fatetur, nisi Pollionis religioni tribuendum sit [4]. Itaque de Veneris cultu hoc certe numo non multum colligi posse, nemo non videt.

Eurypylo vero, quamvis ejus nomen, teste Pausania [5], in templo Aesculapii nominari non liceret, Pergami tamen honores tribuebantur. Hujus Eurypyli mentio fit apud Homerum, qui

---

1 Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XXXVIII. p. 157.

2 Voyag. pitt. T. II. p. 50. N. 7. 3 De praest. num. I. 505.

4 »Il est difficile d'expliquer le motif de ce rapprochement: pourroit-on le supposer »destiné à rappeler l'amour d'Eurypyle, ou le culte de Vénus établi à Sardes, comme »plusieurs médailles semblent le prouver, se seroit-il étendu jusqu'à Pergame? peut-être »faut-il simplement l'attribuer a la dévotion particulière du magistrat, qui fit frapper »cette médaille."

5 Lacon. p. 26.

Ulyssem inducit ita diceutem:

'Αλλ' οἷον τὸν Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ
Ἥρω' Εὐρύπυλον· πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
Κήτειοι κτείνοντο, γυναίων εἵνεκα δώρων·
Κεῖνον (Νεοπτόλεμον) δὴ κάλλιστον ἴδον [1].

Quin et Servius ab hoc Eurypylo ipsam urbem Pergamum conditam refert [2]. In numis quoque, sicuti apud Homerum, dicitur *ΕΥΡΥΠΥΛΟϹ ΗΡΩϹ* [3]. Ceteos, quos vocat Homerus, eosdem fuisse ac Pergamenos, a Cetio fluvio ita dictos, satis constat [4].

In Pergamenis numis saepius Palladis imago conspicitur, et in primis celebris erat *'Αθήνη Νικηφόρος*, cui templum prope arcem sacratum erat, et in cujus honorem solennes quoque ludi instituti fuisse videntur. Etiam *'Υγείας* Minervae cultum Athenis Pergamum translatum fuisse refert Aristides. Scilicet Minervae sanandi facultatem fuisse tributam, et alia multa, et etiam cognomina *Παιωνία, Παvία, Ὑγεία* ostendunt. Quin et ab hac dea medicinam originem duxisse ait Porphyrius. Itaque non est quod miremur eam cum Aesculapio Pergami cultam fuisse [5].

Apollinem, Aesculapii patrem, magno honore Pergami cultum fuisse patet passim ex Aristidis orationibus. In numis quoque Pergamenis Marci Aurelii et Lucii Veri ejusdem dei effigies conspicitur. In aliis tripus Apolliuis invenitur [6].

---

1 Odyss. *λ*. vs. 518 sqq. 2 Ad. Virg. Ecl. VI. 72. Cf. et supra p. 92.

3 Vid. Spanh. de usu et praest. num. Tom. I. p. 505. Cf. Eckh. Doctr. vet. num. Tom. II. p. 463.

4 De his ita Schol. ad Hom. l. c. *Κήτειοι, τινὲς ἀπέδοσαν μεγάλοι, παρὰ τὸ κῆτος· κρεῖσσον δὲ ἀποδιδόναι Μυσῶν ἔθνος τοὺς Κητείους. Ἦν γὰρ ὁ Τήλεφος Μυσίας βασιλεύς. Καὶ Ἀλκαῖος δέ φησι Κήτειον, ἀντὶ τοῦ, Μυσόν.*

5 Vid. Arist. Orat. in Min. p. 25., Porphyr. ap. Procl. in Tim. I. 49., Spanhem. Epist. ad Morell. II. § 3. Qui vero de Pallade *Ὑγείᾳ* plura velit, adeat Creuz. Symb. und Myth. Tom. II. cap. 8. § 26 pag. 735 sqq.

6 Belleins, p. 157.

Herculi honores tribuisse Pergamenos nemini mirum videbitur, quoniam Telephus, qui primus Pergamum coloniam traduxisse dicebatur, Herculis filius fuit. In numo, quem memorant Pellerinius et Hunterus, quemque, praeter cistophoros, unicum certum Pergami argenteum putat Eckhelius, caput Herculis juvenis conspicitur. Altera parte Pallas in Hermae forma hastam intorquet [1]. Herculis quoque labores et alia, quae ad eum pertinent, in Pergamenis numis saepe proponuntur. Huc referendus etiam Imperatoris Commodi numus aereus, in quo conspicitur Hercules stans, dextra clavam, sinistra arcum tenens; contemplatur puellum (Telephum) a cerva super monte lactatum. In apice montis aquila expansis alis, in imo lacerta. Jovis consilium in servando Telepho hac aquila significari sagacissime conjecit Eckhelius, qui egregie hunc numum exposuit [2]. De praestantissimo Eumenis regis numo, in quo clava Herculis cum inscriptione *HPA* infra dicemus.

Bacchus quoque in multis Imperatorum numis Pergamenis conspicitur. Ad hujus dei cultum pertinet serpens in cista, unde et ipsi numi cistophori dicuntur, quorum duos edidit Choiseul-Gouffierius [3]. Sacrificium Baccho factum in numo Septimii Severi exponitur, practore Claudiano Terpandro. Deus stat in cippo, dextra manu ollam habens, sinistra thyrsum [4].

Cybelen etiam et Junonem Pronubam in Pergamenis numis conspici et Cererem propter fertilitatem agrorum Pergami cultam fuisse, sunt qui referant [5].

Regum Pergamenorum nonnullos inter divos relatos fuisse et per se credibile est, et etiam manifesto patet ex Cratonis epistola; de qua supra egimus, ubi legitur *θεοῦ Εὐμένου*. An

---

1 Doctr. vet. num. Tom. II. p. 463. 2 Doctr. vet. num. ibid. p. 468.

3 Voyag. pitt. Tom. II. p. 45 et 49. N. 2 et 4.

4 Belleius, p. 167, 185. 5 Idem, l. c.

ceteris Attalidis idem honor contigerit, incertum est. Constat vero ex scriptis et numis Imperatori Augusto et vivo et mortuo divinos honores Pergami tributos fuisse. Quin et ludi in ejus honorem totius Asiae sumtibus celebrari solebant [1]. Mentionem fecimus magnificentissimi templi, quod, ut Tacitus [2] ait, Augustus sibi atque urbi Romae apud Pergamum sisti non prohibuit. Hoc templum in pluribus numis invenitur, inque eo Augustus stans paludatus, addito in altera parte capricorno [3]. Trajano quoque, cui Pergameni plurimum debebant, et templum dicatum et ludi habiti fuerunt. Commodum etiam et Caracallam divino honore Pergami cultos fuisse suspicari licet. Neque his tantum, sed et Heliogabalo et Valeriano ludos ibi institutos fuisse e numis conjicit Belleius [4].

Deorum ministri apud Pergamenos simpliciter sacerdotes (*ἱερεῖς*) dicebantur. De Divi Eumenis sacerdote in inscriptione apud Osannum supra jam diximus. Aesculapii sacerdos memoratur apud Aristidem, qui et ipse hoc sacerdotium gessit [5]. In Augusti numo M. Furius *ἱερεὺς* vocatur, et in alio Commodi apud Vaillantium Aurelius Celsus *ἱερεὺς διὰ βίου τῶν Σεβάστων Περγαμήνων*

---

[1] Vid. Spon. Misc. p. 367 cit. a Bell. p. 160. [2] Annal. IV. 37.

[3] Hujusmodi numos memorat Belleius, nullo tamen auctore citato, p. 159, ubi haec ait: »Le temple d'Auguste a Pergame devoit être magnifique; il avoit été bâti aux »dépens de la province d'Asie. Sa facade à huit colonnes est représentée sur plusieurs »médailles. Le Capricorne, signe de l'horoscope d'Auguste, paraissoit au frontispice de »ce temple, comme on la voit sur plusieurs médailles." Quibus verbis si nihil aliud significatur, quam templum hoc modo in numis exprimi, non est quod animadvertam. Sin autem Belleius (id quod haec verba collata cum iis, quae paulo antecedunt, innuere videntur) hanc veram Pergameni templi effigiem fuisse statuit, omnino fallitur. Artifices enim in numis talem diligentiam minime curare solent. Quin et in numis, quos citat Eckhelius, Augusti templum plerumque quatuor, aliquando duas vel sex columnas habet.

[4] Mém. de l'Acad. l. c. Memorantur *Ὀλύμπια, Πύθια, Ἄκτια, Αὐγουστεια, Τραιάνεια, Κομόδεια.* Cf. etiam Eckh. Doctr. vet. num. II. p. 473.

[5] Orat. Sacr. IV.

dicitur [1]. In Caracallae et Herennii numis θεολόγος legitur, qui deorum responsa, in tabellis scripta, consulentibus tradidisse fertur. Inter sacerdotes insignis quoque erat στεφανηφόρος, ita dictus a corona laureata vel aurea, quam in publicis sacris gerere solebat. Hic etiam pluribus in urbibus ἐπώνυμος erat [2]. Qui sacro luco praeerat, ἐπιστάτης τεμένους dicebatur, quod ad Nicephorium refert Belleius; sed Vaillantius explicat *templi praefectus* [3]. Aristides quoque νεωκόρους commemorat, qui Aesculapii templum curabant et aegris aut herbis, aut etiam manu opem ferre solebant [4]. Sacerdotii honor ad summos magistratus pertinebat. Ita M. Furius erat asiarcha aut gymnasiarcha, de quo munere docte disputant Belleius et Eckhelius. In numis quoque commemorantur ἀνθύπατος (proconsul), κεφαλίων (praetor), γραμματεύων (scriba), ταμίας (quaestor), alia, quae omnia ad Romanos pertinent.

CAPUT IV.

De Pergamenorum Regum numis.

Omnes, qui supersunt, Pergamenorum regum numi Philetaeri nomen exhibent. In nonnullis caput diademate cinctum conspicitur; in aliis, si genuini, sunt etiam βασιλεὺς additur. Hinc Sevinus Philetaerum regio non tantum imperio, sed et nomine usum fuisse contendit; quamquam, ut supra diximus [5], Polybius, Livius, Strabo Attalum, Eumenis filium, primum

---

1 Bell. p. 161. Eckh. II. 471. 2 Bell. l. c. 3 Eckh. l. c.

4 Arist. ap. Bell. l. c. Ne tamen hoc Aesculapii ministerium confundatur cum neocoratus honore, cujus in numis tam saepe mentio fit.

5 Vid. p. 6.

regem appellatum fuisse diserte memoriae prodiderunt [1]. Egregius numorum interpres Eckhelius, cum propter Polybii et Livii auctoritatem, tum quia Philetaeri imago in omnibus numis haud eadem cernitur, omnes Pergami reges Philetaeros dictos fuisse censet, sicut Aegyptiorum reges Ptolemaei, Parthorum Arsaces vocantur [2]. Attamen cum Pergami reges ab historicis nunquam Philetaeri, saepius autem Attalici audiant, alio modo rem explicare conatus est Choiseul-Gouffierius, qui hos numos in Philetaeri honorem ab ejus successoribus cusos fuisse conjicit [3]. Ut ut est, ex ipsis numis satis constat non omnes uni Philetaero tribuendos esse, quoniam oris lineamenta inter se nimis differunt. Nec est quod in hac doctorum Virorum dissensione ipse proferre auderem, nisi mihi contigisset in Regio

[1] Sevini argumentatio (p. 208, 209) haec est: »Philetaerus devint quelque temps »après le Souverain du pays, dont auparavant il n'estoit que le Gouverneur. Il y a bien »de l'apparence qu'alors paisible possesseur de Pergame, il ne balança point à prendre »la qualité de Roy. Il faut pourtant avouer de bonne foy, que Polybe, Tite-Live et »Strabon appuyent sans détour le sentiment contraire; ils prétendent tous les trois qu'At»talus premier de ce nom, ayant battu les Gaulois, se donna le titre de Roy, dont ses »prédécesseurs n'avoient osé se décorer. Quelque précises et quelque respectables que »soient ces autoritez, je ne me feray point un scrupule de les abandonner. Dans des »faits de cette nature, les Médailles forment des preuves dont la vérité ne sçauroit estre »contestée; il est vray que les monnoyes des Souverains de Pergame sont extrêmement »rares, cependant Goltzius et Scaliger assûrent en avoir vû une de Philetaerus, où le »mot βασιλεὺς se lisoit très distinctement. Ce monument, j'en conviens, ne se ren»contre aujourd'huy dans aucun des cabinets de l'Europe. Inférera-t-on de-là que la »Médaille dont il s'agit n'a jamais existé, et que ces Critiques ont voulu en imposer »au Public? C'est ce que quelques personnes n'ont pas craint d'avancer. Je ne suis pas, »à beaucoup près, si hardi, et j'ay toûjours pensé qu'on ne devroit pas accuser d'im»posture des hommes tels que Goltzius et Scaliger, sans en alléguer des raisons qui ne »souffrent pas la moindre réplique; peut-estre que ces Censeurs auroient esté plus cir»conspects, si le hasard leur eût fait tomber entre les mains une monnoye du cabinet »de M. Pelerin, sur laquelle se voit la tête de Philetaerus ornée d'un diadème.

[2] Vide quae supra diximus p. 7.

[3] Voyage pitt. de la Grèce Tom. II. chap. XIII. p. 42.

Thesauro, qui est Hagae Comitis, aliquot egregios numos argenteos conspicere, in quibus Philetaeri nomen legitur, quosque singulos hic recensere operae pretium esse arbitror [1].

Num. I. Tab. 1. In adversa hujus numi parte caput est hominis obesi, mediae, ut videtur, aetatis, non diademate vel lauro, ut in ceteris numis, sed alia qualicunque corona cinctum. In aversa parte Minerva sedens conspicitur cum hasta, clypeo et arcu, dextra manu coronam tenens, fere similis ejusdem deae imagini in Lysimachi numis, in quibus tamen pro corona victoriae signum dextra manu tenet, unde et νικηφόρος dicitur [2]. Transverse legitur *ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ*. Additur quoque monogramma, quo mihi significari videtur ΕΥΜ i. e. *ΕΥΜ*ενης, quodque distincte legitur in alio numismate (Vid. N. 3). Hinc verosimile duco hunc numum esse Eumenis I, qui, sicut Philetaerus, regio nomine abstinuit. Nam oris lineamenta nimis differunt ab aliis numis, qui Eumeni II tribuendi videntur, et de quibus infra dicemus.

Huic autem numo fere similem, quamvis altera parte diversum, describit Viscontius [3], qui tamen eum non Eumeni, sed ipsi Philetaero, Pergameni regni conditori, tribuit. Nam obesitatem et carnis mollitiem, quae in collo et genis conspiciuntur, optime convenire arbitratur homini, cui talis calamitas accidisset, quae Philetaero accidisse traditur. Hanc meram esse suspicionem quis non videt? Tum et Eumenes I vino indulsisse narratur, imo ex ebrietate morbum contraxisse, quo vita discesserit [4]. Hoc quoque vitium carnis mollities sequi solet. Attalum vero II postremis vitae annis plus solito obesum fuisse diserte

[1] Hos numos inspiciendi copiam mihi fecit benevolentia Viri Nob. J. C. de Jonge, qui Regio Thesauro praefectus est; quin et magna cura ac diligentia eos mihi delineandos curavit.

[2] Tale Lysimachi numisma expressum videas ap. Liebe Goth. Num. p. 6.

[3] Iconogr. Gr. II. p. 200. N. 11.

[4] Cff. quae supra diximus p. 10.

memoriae proditum est. Itaque carnea membra et Philetaero, et Eumeni I, et Attalo II aeque conveniunt. Nihil obstat igitur, quo minus hunc, de quo agimus, numum Eumeni I tribuamus.

Quod autem ad capitis ornamentum attinet, si regio nomine Philetaerus et Eumenes I abstinuerint, diademate cingi non poterant. Quid igitur illa corona, quae in hoc numismate incerta, in aliis vero laureata est, significat? Nullus, quod scio, doctorum virorum hac de re aliquam sententiam tulit, praeter Viscontium [1], qui sagacissime conjicit signum esse Vestae sacerdotii, quo munere Pergameni principes fungebantur, quippe quod prytanorum, supremi urbis magistratus, proprium esset. Et sane omnino verosimile est Philetaerum et Eumenem I hoc nomine regiam auctoritatem sibi affectasse. Successores vero, quamvis regia dignitate conspicui, ejusdem sacerdotii munere functi videntur. Nam hi quoque in numis non semper diademate, sed et saepius laurea corona cincti conspiciuntur. In aliis quoque regionibus viri principes, quo majorem auctoritatem sibi conciliarent, alicujus sacerdotii ornamenta gestare solebant, ut populo sacrosancti viderentur [2].

Coronam vero, quam Minerva in hoc et ceteris Pergamenorum regum numis manu dextra tenet, Viscontius [3] ad solennes ludos refert, quos Philetaerus ejusque successores huic deae celebrare solebant. Forte tamen ad aliorum deorum sacra referenda est haec corona. Certe in egregio numo, quem citat Liebius [4], eadem Minerva sedens cum corona manu dextra conspicitur, cui adduntur literae *ΑΣΚ*, quibus *ΑΣΚληπιειοις* significari arbitror.

Philetaeri imago, quam exhibet Caninius, non multum differt ab aliis numis, quos jam citavimus. Caput corona ex oliva facta cingitur, quam bello non minus ac paci convenire censet

---

[1] Icon. Gr. l. c.

[2] Diod. Sic. XX. § 54.

[3] Icon. Gr. Tom. II. p. 201.

[4] Goth. Num. p. 135.

editor. Idem, ex interpretatione Bellorii, literas *AΣK* explicat Ascaniam, atque in ea regione cusum esse numum arbitratur[1].

Num. II. Tab. 2. Caput diademate cinctum regem indicat, quapropter neque Philetaero, neque Eumeni I hic numus tribui potest. Quin et litera *A*, quae in aversa numi parte legitur, satis ostendit Attalo hunc numum tribuendum esse. Multum vigoris in ore et musculis conspicuum est hominis mediae fere aetatis. Itaque cum Attalus II sexagenario major ad regnum demum pervenerit, Attalus III vero juvenis mortuus sit, vix dubitari potest, quin hoc numisma Attali I imaginem praebeat, qui post devictos Gallos primus rex salutatus est.

In altera numi parte iterum Minerva sedens conspicitur, sed a praecedente paulum diversa. Philetaeri nomen sub arcu pone deam legitur; corona deest; in ima sede, quae sphinge ornatur, litera *A* inscripta est. Sub dextro deae brachio aliquid additur, quod trifolio simile videtur; manus clypeo imposita est, quam dea ante se habet: id quod Viscontius in simili numismate symbolum esse putat Attali virtutis in hostibus arcendis[2].

Num. III. Tab. 3. Egregii operis numisma, cui injuria temporis non multum nocuit, quodque non dubito, quin Eumeni II tribuendum sit. Caput laurea corona cingitur. Oris lineamenta aliquam similitudinem habent cum Attalo I, ita ut patrem et filium facile agnoscas. Vultus nobilis est, eique viro conveniens, qui et pietate in suos conspicuus erat, et regiam tamen dignitatem optime servabat. Aversa numi pars fere similis est Eumenis I numismati, de quo supra diximus, nisi quod Philetaeri nomini cornu copiae subjicitur. Monogramma ΕΜ sub dextro deae brachio inscriptum adeo distincte legitur, ut haud dubie *EYM*, i. e. *EYMενης*, significet.

---

1 Images des Héros et des grands hommes de l'antiquité. N. IX. p. 42 sqq.

2 Icon. Gr. Tom. II. p. 205. N 12.

Num. IV. Tab. 4. Hic numus in adversa parte tantam oris similitudinem cum proxime antecedenti habet, ut nullus dubitem, quin eidem Eumeni II tribuendus sit. Etiam aversa pars priori fere similis est, sed pro cornu copiae clava Philetaeri nomini subjicitur. Hinc et monogramma explicandum arbitror, quo significari arbitror ꟼ i. e. *ΗΡΑκλειοις*. Certe Herculis sacra magna pompa Pergami celebrari solita fuisse supra jam diximus [1].

Num. V. Tab. 5. Vides hic caput laureatnm hominis jam ad senectutem vergentis. Itaque propter additam literam *A* in aversa parte Attali II hoc numisma esse arbitror, qui senex Eumeni II fratri successit. In vultu quidem nihil est fraternae similitudinis cum Eumene. Sed hanc ob causam neque ullam aliam Attalo hoc numisma denegare, sicut in aliis denegat Viscontius, equidem non ausim. Quis enim non novit fratres germanos, ore et vultu prorsus dissimiles? Quod si illud Attalo I tribuas, (nam de Attalo III propter aetatem nulla controversia esse potest) non minus in patre et filio, quam in fratribus aliqua similitndo desideratur.

Aversa hujus numi pars eadem fere est atque in reliquis. In eo tantum differt, qnod sub Philetaeri nomine pro clava aut cornu copiae, pomum aut aliud quid additur, quod non satis distinguere possum.

Haec sunt, quae ex his praestantissimis numis colligo, quaeque publici juris facere operae pretium esse duxi, quoniam Pergamenorum regum numismata perrara sunt. Quod si quis inde aut melius, aut amplius conjiciat, mihi pergratum fecerit.

---

1 Vid. p. 139.

OBSERVATIONES CHRONOLOGICAE.

OBSERVATIONES CHRONOLOGICAE.

OBSERVATIO I.

(ad Pag. 4)

Quo anno Pergameni regni initium statuendum sit.

Aliquanto difficilius est accurate definire, quo anno Pergamenum regnum sit conditum. Nam uti in Philetaeri rebus commemorandis, ostendimus, hic re magis quam nomine potestatem regiam habuit; imo per totam vitam, certe quam diutissime, regium nomen fugisse videtur. Num igitur hujus tyrannidis initium statuendum ab eo anno, quo Lysimachus ei Pergami castellum commisit? an ab eo tempore, quo ad Seleucum defecit? an denique a Seleuci morte? Haec omnia prorsus incerta forent, nisi memoriae proditum esset Philetaerum viginti annos Pergami castellum et opes tenuisse. Videamus igitur, quid chronologi statuant, sed in primis, quid ex ipsis veteribus hac de re colligere possimus.

Ex Simsonii computatione Philetaerus a Lysimacho ad Seleucum defecit Olymp. CXXIII. 2, A. U. C. 467. Idem Seleucum a Ptolemaeo Ceranno interfectum censet Olymp. CXXIV. 2, A. U. C. 471. Vid. Chron. ad ann., ubi Wesselingius animadvertit Seleuci expeditionem contra Lysimachum in annum sequentem rejiciendam videri, quippe qui XXXII annos regnaverit, Dexippo teste: Seleuci vero ultimum annum respondere putat Ptolemaei Philadelphi secundo.

Petavius vero Rat. Temp. I. Lib. IV. c. 3. Pergameni regni initia ponit circa Olymp. CXXIV, ultimo Ptolemaei Lagidae anno, per idem tempus, quo Achaeorum civitates in unum corpus redigi sunt coeptae: qua de re vid. Polyb. II. 41. Cujus quidem chronologi

manifestus error est in calculis, cum eundem Ptolemaeum anno Period. Jul. 4433 Macedoniam occupasse tradat. Vid. Succ. Reg. Maced. Nam ex ipsius Petavii computatione, ultimus Ptolemaei Lagidae annus convenit anno Period. Jul. 4431, i. e. Olymp. CXXIV. 1. Vid. Succ. Reg. Aegypt. Idem quoque, in Canon. epocharum celebriorum, Pergami regni initium statuit anno Period. Jul. 4430, A. C. N. 284. Simili modo peccasse videtur, quum Lysimachum anno Period. Jul. 4432, i. e. Olymp. CXXIV. 2, Macedoniam invasisse refert.

In Eusebii chronico apud Bongarsium Excerpt. Chron. ad Just. Ptolemaei Philadelphi primus, i. e. Ptolemaei Lagidae ultimus annus, ponitur Olymp. CXXIV. 1, Lysimachi vero expeditio in Macedoniam ibi melius, quam apud Petavium, refertur ad Olymp. CXXII anno haud adscripto. Notandum quoque Lysimachum, Petavio judice, Macedoniam tenuisse unum annum quinque menses, sed ex Bongarsii sententia quinque annos.

Aliò modo Sevinius, Philetaeri dominationis initium statuendum duxit. Vid. Recherches sur les Rois de Pérgame Mém. de l'Acad. des inscr. et belles lettr. Tom. XII. pag. 207, ubi haec legimus: »Quant à la »retraite de Philetaerus dans son gouvernement de Pergame, je serois »fort tenté de la rapporter à la seconde année de la cent vingt-»quatrième Olympiade, et de là doivent se compter les années d'An-»tiochus Soter; on luy donne communément dix-neuf ans de règne; »ce fut sur luy qu'Eumenès remporta une victoire mémorable. Alors »les vingt années de l'empire de Philetaerus estoient écoulées, et par »conséquent Eumenès a dû recueillir la succession de son oncle au »moins trois ou quatre mois avant la mort d'Antiochus, ce qui »nous conduit presque nécessairement à la seconde année de la cent »vingt-quatrième Olympiade."

»Mais, objectera-t-on, l'entrée de Séleucus dans les états de Ly-»simaque est incontestablement arrivée pendant le cours de la cent »vingt-troisième, et dès-lors ce Prince auroit eu le temps de donner à Philetaerus des marques de son ressentiment. Je répondrois à cela »deux choses; la première, que les desseins de cet adroit politique »ne se développèrent que par dégrez; et la seconde, que Lysimaque

»informé des préparatifs de Séleucus, ne jugea point à propos d'in»terrompre les siens par le siège de Pergame; il y auroit perdu »beaucoup de monde et se seroit trouvé moins en état de soutenir »les efforts d'un ennemi redoutable. La révolte de Philetaerus n'avoit »rien qui l'effrayât, et il comprenoit aisément que si le sort des »armes luy estoit favorable, le rébelle n'échapperoit jamais à sa juste »vengeance; il n'eut pas néantmoins la satisfaction de punir un »sujet qu'il croyoit digne de toute sa haine."

Huc usque vidimus, quid chronologiae et antiquitatis periti hac de re censuerint. Nunc veteres adeamus et rem ex integro dijudicemus.

Polybius, II. 41, memoriae prodidit Ptolemaeum Lagidam, Lysimachum, Seleucum, Ptolemaeum Ceraunum, omnes eadem Olympiade vita decessisse; et quidem Ptolemaeum, Lagi filium, Olymp. CXXIV. 1, ceteros vero ejusdem Olympiadis anno ultimo. In hac autem computatione id animadvertendum, Ptolemaeum Ceraunum sequenti demum anno, i. e. Olymp. CXXV. 1 occubuisse. Quem errorem (nisi Cerauni nomen a librariis interpolatum sit) ipse Polybius agnovisse videtur; nam Lib. II. cap. ult., ubi eadem res repetitur, Cerauni nomen abest.

In his autem calculis optimum ducem sequimur Strabonem, qui singulorum Attalidarum regum annos notavit, scilicet:

Philetaerus	regnavit	annos	20
Eumenes I	—	—	22
Attalus I	—	—	43
Eumenes II	—	—	39 [1]
Attalus II	—	—	21
Attalus III	—	—	5
Tota series annorum			150.

[1] Legitur quidem apud Strabonem XIII. p. 623 τεσσαράκοντα καὶ ἐννέα; sed librariorum incuria pro τριάκοντα καὶ ἐννέα ita editum arbitror, quod jam ante me viderunt Simsonius Chron. ad ann. 3847 et Schweigh. ad Polyb. XXXIII. 23: quin et ex Romana historia satis constat Eumenem non tam diu vixisse. Saepius in codicibus idem error committitur. Ita legimus apud Appian. Syriac. p. 208 de Seleuco: καὶ βασιλεύσας ἐξ αὐτῶν δύο καὶ τεσσαράκοντα. Constat enim Seleucum non amplius quam 32 annos regnavisse. Vid. Syncell. Chron. p. 266. ed. Goar. Cf. Orell.

Legimus autem apud Livium, Epit LIX, Numantiam urbem a Scipione captam, deque ea triumphatum esse, quarto decimo anno post Carthaginem deletam. Mox vero sequitur: »Aristonicus, Regis Eumenis »filius, Asiam occupavit, cum testamento Attali Regis legata populo »Romano libera esse deberet." Utrumque ejusdem epitomes initio commemoratur, unde conjiei licet Attali ultimi mortem et Numantiae excidium, ex Livii sententia, ad eundem annum referendum esse. Constat autem Carthaginem A. U. C. 607 deletam esse; unde sequitur Attalum ultimum A. U. C. 621 vita defunctum esse. Pergameni igitur regni fundamenta CL annis ante, sive A. U. C. 471 jacta sunt, qui annus respondet Olymp. CXXIV. 2, si quidem eorum sententiam amplectimur, qui Romam Olymp. VI. 4 conditam statuunt [1].

At vero Seleuci filius, Antiochus Soter, ex Eusebii et optimorum chronologorum computatione XIX annos regnavit. Hic autem ultimo regni anno, Philetaeri morte cognita, cum Eumene pugnavit apud Sardes. Itaque XVIII tantum annos, aut aliquanto minus, cum Philetaero communes habuit, cui tamen XX annorum imperium tribuitur. Unde necesse est initium Pergameni regni statuendum secundo vel tertio anno ante Seleuci mortem. Et sic quidem omnia optime conveniunt; nam Polybius, ut vidimus, Seleucum interfectum tradit Olymp. CXXIV ult. Quod si vero Philetaeri initium ponitur Olymp. CXXIV. 2, hic aliquanto plus quam duos annos cum Seleuco communes habuit. Ita quoque Philetaeri annus primus, quod idem Polybius testatur, Ptolemaei Lagidae ultimus fuit. Atque hinc Simsonii error etiam facilee xplicatur. Hic enim, Philetaeri annos a Seleuci morte numerare incipiens, huic Syriae regi, qui XXXII annos regnavit, non nisi XXX tribuit, ejusque filium Antiochum Soterem non XIX, sed XX annos regnavisse censet. Quapropter, ut sui similis esset, Philetaeri initium etiam in proxime antecedentem Olympiadem ei rejiciendum erat.

---

annot. ad Memn. excerpt. c. 12. Itaque et hoc Appiani loco τριάκοντα restituendum est, ut recte animadvertit Wesselingius ad Simson. Chron. ann. 3722, quod miror Schweighäuserum V. Cel. fugisse.

[1] Ita plerique. Petavius autem Romam Olymp. VI. ann. 3 conditam censet.

Haec cum scripsissem, serius mihi contigit Clintonis Fastos Hellenicos inspicere, qui, quamvis alia ratione, eodem tamen, quo nos statuimus, anno Philetaeri initium statuendum censet. Ejus autem argumentatio huc redit [1].

Livius Lib. XXXIII. 2 Attali I mortem refert ad consulatum Cornelii et Minucii, sive A. C. N. 197. Jam vero idem, uti et Polybius, Attalum XLIV annos regnasse tradit. Itaque Attalus regnare coepit anno A. C. N. 241, cui numero si adjunxeris XX Philetaeri et XXII Eumenis I, quos Strabo memorat, adscendis ad annum A. C. N. 283, qui respondet Olymp. CXXIV. 2.

Quod autem ad Strabonis calculos attinet, qui, uti vidimus, Attalo I XLIII tantum annos tribuit, hic in eo errasse Clintoni videtur, quod Attalo annum detraxerit, eumque Eumenis annis addiderit. Sic tamen tota annorum series non mutatur.

Hac igitur computatione nostram quoque quam maxime confirmari arbitror. Tum Boeckhii calculi, quos dedit Osannus [2], non multum differunt. Ibi enim hoc stemma Pergamenorum regum ponitur:

Docimus Macedo, Antigoni dux

Philetaerus, eunuchus, primus Pergami dynasta ab anno a. C. 283—263.	Eumenes,	Attalus, fratres.
	Eumenes I, secundus dynasta, 263—241.	Attalus I, tertius dynasta, 241-197, rex primus a 239 cooptatus.

Eumenes II, rex secundus, 197—158.	Attalus II, rex tertius, 158—138.	Philetaerus, Athenaeus.

Attalus III Philometor, quartus rex 138—133.

[1] Fast. Hellen. Tom. III. Append. VI. p. 400 sq.

[2] Syll. Inscr. Sect. I. Append. p. 237.

Vides hic annos mirum in modum cum nostra computatione convenire. Nam nullum aliud discrimen est, nisi unius anni in Attalo II, quem anno 159 Eumenem fratrem in regno excepisse statuimus. Qua de re vid. Observ. Chron. XIV. Attamen in hoc stemmate duo errores animadvertendi sunt. Scilicet Docimi nomen ita ponitur, quasi Philetaeri pater fuerit, quamvis Pausanias [1] eum tantum Docimi eunuchum fuisse tradat. Tum vero multo major error est in Attalo III, quem non Attali, sed Eumenis II filium fuisse inter omnes constat.

OBSERVATIO II.

(ad Pag. 10)

De temporibus Eumenis et Antiochi Soteris.

Petavius, Rat. Temp. Succ. XIX, Antiochi Soteris mortem in annum Per. Jul. 4454 incidisse putat. Idem Eumenis, Philetaeri successoris, initium statuit anno Per. Jul. 4450. Vid. Succ. XLIX. Itaque ex hujus sententia quatuor illis anni communes fuere. Ex Simsonii calculis, Antiochus Soter regnavit annos viginti, ejusque ultimus annus Eumenis primus fuit. Eusebius autem, ut supra diximus, hunc Antiochum undeviginti tantum annos regnasse merito arbitratur: attamen perperam ejus mortem ponit Olymp. CXXV. Ut ut est, verosimile ducimus Antiochum Soterem brevi post expeditionem contra Eumenem diem obiisse. Quem quidem Pergami dynastam Olymp. CXXIX. 2, sive A. C. N. 263 Philetaero successisse credimus, propter causas in praecedente Observatione allatas. Clintonis quoque calculi nostris conveniunt, quippe qui Antiochum, Seleuci fil., diem obiisse censet A. C. N. 261. Vid. Fast. Hellen. Tom. III. p. 401.

[1] Lib. I. c. 8.

OBSERVATIO III.

(ad Pag. 11)

De anno, quo Eumenes I obiit.

Insignis error est Sevini pag. 211, qui de Eumenis I obitu agens ait: »Il a dû mourir vers la fin de la cent quatrevingt-quatrième »Olympiade, ou au commencement de la suivante," Ex ipsius enim Sevini calculis liquet ibi legendum esse cent trente-quatrième. Forte in chartis manu scriptis confudit numeros 3 et 5, errore deinceps haud animadverso.

OBSERVATIO IV.

(ad Pag. 19)

De anno, quo Attalus societatem cum Romanis junxit.

M. Valerius Laevinus consul fuit A. U. C. 543, qui annus respondet Olymp. CXLII. 2. Hinc Sevinus (Recherches sur les Rois de Pergame Mém. de l'Acad. des inscr. et bell. lettr. Tom. XII. p. 218) in errorem inductus videtur, quippe qui hoc anno societatis foedus initum censeat. Sed e Livii l. 1. satis manifestum est, id factum esse quo tempore Laevinus adhuc praetor erat.

OBSERVATIO V.

(ad Pag. 26)

De tempore, quo pugnae navales ad Laden et Chium commissae sunt, deque Philippi contra Pergamum expeditione.

Ex iis, quae Livius, XXXI. 14, memoriae prodidit, apparet Philippum Abydum oppugnasse eodem anno, quo bellum Macedonicum a Romanis renovatum est: qui annus, ut infra Observ. VI videbimus, fuit A. U. C. 554. Quum vero idem auctor ibi mentionem faciat de proeliis navalibus contra Attalum et Rhodios, credibile est

haec paulo ante commissa fuisse. Casaubonus, in synopsi chronologica ad Polybium, nobile illud proelium ad Chium in A. U. C. 552 refert, quod verosimile est. Nam Polybius, XVI. 13, Philippi virtutem magnis laudibus effert, quippe qui statim post cladem navalem, stupenda quadam animi praesentia, et divinitus, ad medendum malis praesentibus magno conatu sese accinxerit; et cum ita animatus adversus Rhodios ac regem Attalum insurrexisset, quae deinceps agere instituit, ea ad felicem exitum perduxerit. Tum et Livius XXXI 16 sqq. Philippum regio animo usum ait, qui cum Attalum Rhodiosque hostes non sustinuisset, ne Romano quidem, quod imminebat, bello territus fuerit. Eumque, compluribus ad Hellespontum urbibus captis, Abydum obsidione cinxisse refert, dein post captam urbem, praesidio ibi imposito, in regnum rediisse. Apparet igitur Philippum, ab Attalo Rhodiisque ad Chium victum, extemplo urbes ad Hellespontum aggressum fuisse: attamen cum Abydi oppugnatio, Livio teste, eum diu tenuerit, merito Casaubonus inter pugnam navalem et bellum cum Romanis renovatum anni spatium interfuisse censet.

Quaeritur autem, num ea, quae circa Pergamum egit Philippus, hoc tempore, an ante cladem ad Chium acciderint. Qua de re ita Sevinus pag. 228: »Il y avoit proche de Pergame, un bois en grande »vénération parmi les peuples de ces contrées; il estoit consacré à Ju»piter le Vainqueur. Philippe le réduisit en cendres, évènement qui, »suivant l'opinion la plus généralement reçûe, est placé immédiate»ment après la bataille de Ladé; pour moy, je serois tenté de le »croire postérieur au combat de Chio, et cela sur deux raisons, qui »résultent naturellement de quelques textes de Polybe. La première »se tire de la page 73" (quem locum supra citavimus p. 26). »Cet »Auteur y blâme l'inaction et la lenteur d'Attalus, et y comble de »louanges la grandeur d'ame et l'activité de Philippe. Malgré la »perte de son armée navale, il court à la vengeance, et veut, en »quelque manière, forcer la victoire à se ranger sous ses étendarts. »Comment entendre ceci de la journée de Ladé, qui ne fut point »meurtrière, et dans laquelle le Roy de Macédoine eût même quel-

»qu'avantage? Sa fermeté et sa résolution ne méritoient pas, en pa»reilles circonstances, les éloges magnifiques que Polybe luy donne. »On lit dans le même Écrivain, et c'est la seconde raison; on y lit, »dis-je, qu'au commencement de la cent quarante-cinquième Olym»piade, Philippe désoloit la Carie, ce qui quadre parfaitement avec »l'action de Chio, qui n'a pû arriver que dans le cours de l'Olym»piade précédente."

Haec autem Sevini argumenta minus valida esse existimo. Ea enim, quae dicuntur Polybio de Philippi generoso animo post cladem navalem, non ad loca circa Pergamum vastata, sed ad Abydum, Attali sociam, ceterasque urbes prope Hellespontum captas referenda sunt. Quod autem ait Sevinus, Polybio teste, Olymp. CXLV ineunte, Cariam a Philippo vastatam, de tempore quidem nihil apud hunc auctorem inveni; sed Lib. III. cap. 2 coll. XV. 20 dicitur Philippus post mortem Ptolemaei Philopatoris cum Antiocho conspirationem iniisse de relicti pupilli regno inter se dividendo (cujus rei etiam Livius XXXI. 14 obiter meminit) eosque hunc dolis aggressos esse, ac Philippum quidem Aegyptum et Cariam, Antiochum vero Coelesyriam et Phoenicen armis invasisse. Illo autem foedere cum Antiocho fretus, Philippus ausus est Rhodios lacessere et Cianorum urbem, Aetolorum sociam, evertere, et Lysimachiam, Aetolis item foedere junctam, occupare. Quae omnia ante pugnam navalem cum Rhodiis et Attalo facta sunt. Eodem vero tempore etiam Pergamenum regnum, Prusiae generi in gratiam, invasisse videtur.

Quo magis autem expeditionem contra Pergamum ante pugnam navalem susceptam credamus, haec faciunt:

I. Tradit Livius l. c. et sqq. Attalum post pugnam navalem Aeginam, inde Athenas venisse: Abydenis autem non nisi trecentos milites misisse in praesidium; postea vero, cum jam vix sustinerent obsidionem, ipsum quidem trajecisse, sed spem tantum auxilii ex propinquo ostendisse, neque terra neque mari adjutis sociis. Quod si Philippi expeditio eo tempore suscepta fuerit, haec Livii verba minime conveniunt Polybii narrationi, quam supra retulimus pag. 24 sq., ubi dicitur Attalus tantum non in manus Philippi venisse, et, locis

munitis, omnia diligenter providisse (προνενοῆσθαι τὸν Ἄτταλον ὑπὲρ τούτων ἐπιμελῶς). Quo tempore igitur Philippus Pergamenum regnum invasit, Attalus ipse Pergami fuit et loca circa hanc urbem munivit; quod vix facere potuit post subitum e Graecia adventum, de quo Livius loquitur.

II. Si expeditio contra Pergamum post pugnam navalem ad Chium facta est, haud facile explicatur Livii silentium l. c., quippe qui singularum urbium, itemque castellorum, quae Philippo cesserint, nomina memoriae prodiderit. Idem vero Lib. XXXI. cap. 46 tradit Aetolis ab Attalo exprobratum fuisse, quod noluissent ad populandam Macedoniam exire, quo tempore Philippo circa Pergamum urente sacra profanaque, abstrahere eum inde respectu rerum suarum potuissent. Itaque de Philippi expeditione uti de re antea gesta Attalus loquitur.

III. Ordo, quo Appianus Maced. 3 ejusdem rei meminit, nostrae sententiae omnino favet. Hic enim Philippum partem Attali regni vastavisse, ipsam quoque Pergamum tentasse refert: tum vero Rhodiorum Peraeam depopulatum esse. Deinde mentionem facit foederis inter Philippum et Antiochum, Syriae regem, quo omnes, et in primis Rhodii, valde conturbati sint.

Merito autem Schweighaeuserus, ad Polyb. XVI. 1, Pergamum vastatum censet post annum U. C. 552, quia Polybius id decimo sexto demum libro memorat; at vero ante annum U. C. 554, quo Livius hujus rei mentionem facit. In Fastis quoque Hellenicis Tom. II. p. 402 idem illud factum ad annum A. C. N. 201 = U. C. 553 refertur.

Itaque hoc anno ineunte Pergamum vastatum, media vero aestate proelium navale ad Chium commissum esse verosimile est. Sequenti vero anno A. C. N. 200, Abydus obsessa est et expugnata, eodemque anno bellum inter Philippum et Romanos renovatum est. Pugnam vero navalem ad Laden paulo ante Chium proelium commissam arbitror. Illud certum videtur non amplius quam anni spatium utrique pugnae interfuisse.

OBSERVATIO VI.

(ad Pag. 28)

De anno, quo bellum Macedonicum alterum cum Philippo inceptum est.

Apud Livium XXXI. 5 ita legitur: »Anno quingentesimo quinquagesimo (Vet. lib. habet quadragesimo) ab Urbe condita, P. Sulpicio »Galba C. Aurelio Coss., bellum cum rege Philippo initum est, »paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam." Merito hunc locum corruptum censuerunt Viri docti. Clericus credit deesse *secundo:* »is enim," inquit, »annus aerae Catonianae labebatur, etiam ex »calculis Livii. Annus, qui hic habetur, neque cum Varroniana, »neque cum Catoniana aera, quam sequitur Livius, consentit." Eodem modo legendum censet Dodwell. in Chronol. Graeco-Rom., quae Dionysio Halic. subjungitur, p. 52., quam emendationem Drakenborchius a Clerico et Creviero probatam fuisse notat.

Contra Pighius Annal. Tom. II. p. 241, item Sigon. et Onuphr. ad Fast. Capit., uti et Hearnius ac Granerus A. U. C. 553 bellum cum Philippo initum censent. Vid. VV. dd. ad Eutrop. IV. 2, ubi perperam anno urbis conditae 551 T. Quinctius Flamininus adversus Philippum regem missus legitur. Casaubonus quoque in synopsi chronol. ad Polyb. A. U. C. 553 bellum renovatum memorat.

Tum vero Glareanus anno 554 hujus belli initium ponit. Vid. et ad Eutrop. l. l., e quibus, quo res magis appareat, haec describere libet: »Si ab urbe condita ad App. Claudium consulem, qui primus »Carthaginiensibus bellum intulit, sunt anni 488, ut ipsi jam ostendimus, et a primo Punico ad secundum bellum finitum 63, emergit »summa 551 annorum: quibus si addatur annus, quo pax facta est »cum Carthaginiensibus, erit tum hic sequens annus quingentesimus »quinquagesimus tertius, quanquam alii quartum numerant, id quod »non repugnat Livio: quippe qui primum bellum Punicum durasse »dicat annos 24, deinde pacem fuisse cum Carthaginiensibus annos »23, hoc vero secundum bellum Punicum durasse annos 17. Quos

»numeros si addideris, emergent anni non tres, ut ipse ait, sed »quatuor ac sexaginta, non etiam commemorato, quo pax data est »Carthagini. Ego vero in uno duntaxat anno nullam facio difficul»tatem, cum Pliniana supputatio ab Dionysii magna ex parte duobus »distet annis. Quare hoc loco legendum anno quingentesimo quin»quagesimo quarto." Huic Glareani computationi Verheykius ad Eutrop. l. l. Fastos Capitolinos et Siculos favere ait, Orosium vero, ubi debuerat Lib. IV. cap. 2, anni non meminisse, sed in Fastis esse 552, ut notaverat Fabricius. Simsonius quoque ann. 3805 bellum contra Philippum A. U. C. 554 susceptum memorat.

In hac opinionum diversitate equidem nihil affirmare ausim. Verum eorum sententiae maxime faveo, quorum calculis annus quingentesimus quinquagesimus quartus emergit. Nam si initium belli cum Philippo

statuimus A. U. C.	554
Addatur annus, quo, Livio XXXII, 6 teste, nihil memorabile gestum est	1
Sequenti anno bellum Macedonicum committitur T. Quinctio Flaminino, Liv. XXXII. 8.	1
Huic imperium prorogatur, Liv. XXXII. 28, eodem, quo Attalus moritur, anno, Liv. XXXIII. 21.	1
	557

Sequitur ex hac computatione Attalum A. U. C. 557 vita decessisse. Et sic calculorum ratio optime sese habet. Supra enim vidimus hunc Pergami regem, cui Polybius et Livius XLIV annos tribuunt, A. U. C. 513 Eumeni successisse. Attamen nihilo minus in Livii loco corrupto non *quarto*, sed *tertio* addendum arbitror, quoniam hic aeram Catonianam sequitur. Miror autem neque Simsonium, neque ejus editorem Wesselingium aliquid hac de re animadvertisse.

OBSERVATIO VII.

(ad Pag. 33)

De Attali I obitu post pugnam ad Cynoscephalas commissam.

Satis constat Attalum eodem anno, quo Philippus a Flaminino debellatus est, e vita decessisse. Verosimile est eum ante pacem a Senatu Philippo datam, postquam proelio ad Cynoscephalas dimicatum fuerat, diem supremum obiisse. Qua de re ita Sevinus pag. 240: »Le prin»temps estoit déjà commencé, lorsqu'Attalus et Flamininus arrivèrent »à Thébes. Le Roy de Pergame voulut haranguer le peuple; à peine »avoit-il commencé son discours, qu'il fut frappé tout-à-coup d'une »attaque d'apoplexie. Flamininus ne le quitta point, qu'il ne fût ab»solument hors de danger; et ce prince resta dans la ville, jusqu'à »ce que ses forces luy permissent de soûtenir les fatigues d'une lon»gue et pénible navigation. Il aborda à Élée, et de là transporté »dans la capitale de ses États, il vêcut encore quelques semaines. »Tant de circonstances réunies ensemble ne sçauroient guéres se »renfermer dans un espace moindre de quatre mois; ainsi la dé»faite de Philippe a dû précéder la mort d'Attalus, puisque lors de »ce fameux événement les bleds estoient encore sur pied."

Addit autem Sevinus Eumenem Attalo successisse Olymp. CXLV. 4, quod et nostrae computationi convenit.

OBSERVATIO VIII.

(ad Pag. 48)

De tempore, quo bellum inter Prusiam et Eumenem ortum est.

Constat Prusiam Hannibalis hortatu bellum Eumeni intulisse. Han-

nibal autem, Antiocho fugato, verens ne dederetur, in Cretam ad Gortynios profectus est. Ibi, Justino teste, *diu* vitam quietam egit, et hinc ad Prusiam pervenisse dicitur. Vid. Just XXXII. 4., Nep. vit. Hannib. cap. 10. Itaque verosimile est eum non affuisse Antiocho, ubi novae dissensiones cum Eumene ortae erant, ad quas dirimendas L. Scipionem in Asiam legatum missum fuisse supra vidimus. Factum id A. U. C. 568, qui respondet Olymp. CXLVIII. 3. Tradit vero Livius, Lib. XXXIX. cap. 46, ab Eumene rege legationem cum fratre ejus Athenaeo Romam venisse ad querendum de Philippo, Macedonum rege; simul quod non deducerentur ex Thracia praesidia; simul quod in Bithyniam Prusiae, bellum adversus Eumenem gerenti, auxilia missa forent. Venit autem Athenaeus M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone Coss., A. U. C. 571, sive Olymp. CXLIX. 2. Apparet igitur intra hoc triennium belli initia statuenda esse. Quin et Clinton, Fast. Hell. Tom. III. p. 404, belli initium ponit intra annum A. C. N. 188 et 183 = U. C. 566 et 571, addens verosimile esse id anno 184 inceptum fuisse.

Eandem computationem alio modo fecit Sevinus p. 259, 260, qui ita ait: »Il n'est pas aisé de déterminer en quelle année commen»cèrent les actes d'hostilité; le tout dépend de fixer le temps précis »auquel Annibal a cessé de vivre. Atticus plaçoit la mort de ce grand »Capitaine sous le Consulat de Marcus Claudius Marcellus et de Quintus »Fabius Labeo, et Polybe sous celuy de Lucius Aemilius Paullus et »de Cnaeus Baebius Tamphilus. La dernière opinion est celle que j'adop»terois le plus volontiers. Polybe, comme on l'a déjà observé, estoit »contemporain, et en matière d'exactitude, peu d'Écrivains l'ont »égalé. Ceci une fois établi, j'aurois beaucoup de penchant à croire »que la rupture entre Eumenès et Prusias éclata au plus tard la pre»mière année de la cent quarante-neuvième Olympiade; car la durée »de cette guerre ne sçauroit estre renfermée dans un espace moindre »de deux ans, autrement il faudroit rejeter le témoignage de Cornélius»Népos, au rapport duquel il y eut plusieurs combats entre les »armées des Rois de Pergame et de Bithynie. Tel est aussi le sens, »si je ne me trompe, des paroles de cet auteur: *Sic Hannibal consilio »arma Pergamenorum superavit, neque tum solum, sed saepe alias pe-*

»*destribus copiis pari prudentia pepulit adversarios:* ce qui suppose au »moins deux campagnes."

Ab eodem Sevino p. 261 Justinus reprehenditur his verbis: »Justin »prétend que les troupes de Prusias furent toûjours battues, ce qui »est directement contraire au récit de Cornélius-Nepos et de Tite-»Live, écrivains plus croyables en toutes façons, que l'abbréviateur »de Trogue-Pompée. Il avance encore que le commencement de »cette guerre est postérieur à la mort de Philippe; comment accorder »cela avec l'ambassade d'Athénée frère d'Eumenès? Il est certain que »ce Prince vint à Rome sous le Consulat de Quintus Fabius Labeo et »de Marcus Claudius Marcellus, la seconde année de la cent quarante »neuvième Olympiade." Scilicet Justinus, Lib. XXXII. cap. 4, ubi de Perseo, Philippi successore, mentionem facit, haec addit: »Interim inter Prusiam regem, ad quem Hannibal post pacem Antiocho »a Romanis datam profugerat, et Eumenem bellum ortum est," cet. Quibus verbis significare videtur illud bellum Persei tempore gestum fuisse. Forte tamen vox *interim* non adeo ad proxime antecedentia referenda est. Quod vero Sevinus ait, Prusiae copias ex Justini sententia semper pulsas fuisse, secus est. Ibi enim haec tantum legimus: »Dein cum Prusias terrestri bello ab Eumene victus »esset, et proelium in mare transtulisset, Hannibal novo commento »auctor victoriae fuit." Neque haec verba Nepotis narrationi contraria sunt, quippe qui dicat Eumenem et mari et terra plus valuisse, etsi saepius ab Hannibale victus sit.

OBSERVATIO IX.

(ad Pag. 50)

De tempore, quo Leocritus Galatiam invasit et pax inter Eumenem et Pharnacem composita est.

Legationes Eumenis, Pharnacis et Rhodiorum post Sinopes cladem in Senatum introductae sunt A. U. C. 572, Cn. Baebio Tamphilo

L. Aemilio Paullo Coss. Vid. Liv. XL. 2. Senatus legatos ad lites dirimendas mitti jussit; qui, Polybio teste, venerunt, postquam Leocritus hyeme in Galatiam penetraverat et Pharnaces, ineunte vere, copias coëgerat. Itaque verosimile est Leocritum, hoc ipso anno ad finem vergente, Gallograecos aggressum fuisse. Respondet autem hic annus Olymp. CLIX. 3, quo et Sevinus pag. 263 hanc Leocriti expeditionem factam esse censet. De pacis tempore inter Eumenem et Pharnacem compositae recte statuit Hisely disp. de hist. Cappad. p. 166, ubi haec leguntur: »Verisimile est id foedus ictum esse anno A. C. »N. 180, nam eo tempore, quo secunda regum Asiae legatio Romam »venit, consulatum gerebant P. Corn. Cethegus, M. Baebius Tamphilus, »anno U. C. 173 ante C. N. 181."

OBSERVATIO X.

(ad Pag. 59)

De tempore, quo dissensiones inter Eumenem et Achaeos ortae sunt.

Recte Sevinus pag. 273 hujus rei computationem ita facit: »La »brouillerie avoit éclaté la seconde année de la cent quarante-huitième »Olympiade. Voici la raison, sur laquelle est fondée l'époque dont »il s'agit. Polybe nous apprend que la proposition d'Eumenès, qui »révolta les Achaeens, se fit dans la même assemblée où Nicodémus »déclara que le Sénat avoit paru mécontent de la destruction des »murs de Lacédémone; et l'assemblée en question a dû nécessaire»ment précéder la députation de Quintus Caecilius Metellus et celle »d'Appius Claudius. On sçait que le premier ne put obtenir audience »des Achaeens, et que le second fit abroger le décret dont les Lacé»démoniens se plaignoient avec tant d'amertume: or il est visible »par deux passages de Tite-Live, qu'Appius fut envoyé en Grèce la »quatrième, et Lucilius la troisième année de la cent quarante-huitième

»Olympiade; et dès-lors il faut placer sous le consulat d'Aemilius Le-»pidus et de Mucius Scaevola le Conseil où furent introduits les »Ambassadeurs d'Eumenès."

OBSERVATIO XI.

(ad Pag. 62)

De tempore, quo Attalus Romam venit de Paulli Aemilii victoria gratulatum.

Hic annus U. C. 587 respondet Olymp. CLIII. 2. Verum Schweighaeuserus ad Polyb. l. c. et Petavius Rat. Temp. I. 4. 11. ad ejusd. Olymp. ann. 1 referunt. Sevinus autem p. 281 nobiscum facit his verbis: »On vit arriver à Rome des Ambassadeurs de presque toutes »les Puissances, qui venoient féliciter le Sénat sur un événement dont »la plûpart d'elles estoient véritablement consternées. Je ne place »point Attalus dans ce rang. Le Consul estoit extrêmement satisfait »des services de ce Prince; et les principaux Officiers, témoins de sa »valeur, s'empressèrent à luy donner des marques de leur estime »pendant le séjour qu'il fit à Rome: ce qui suppose qu'ils estoient »de retour de l'armée, et par conséquent l'arrivée d'Attalus dans »cette ville doit nécessairement se rapporter à la seconde année de »la eent cinquante-troisième Olympiade."

OBSERVATIO XII.

(ad Pag. 64)

De tempore, quo Prusias Romam et Eumenes in Italiam venit.

In hac computatione Schweighaeuserum ad Polyb. XXX. 16 secuti

sumus, qui haec ait: »Prusiae adventum Romam, et Eumenis in »Italiam adventum, diserte Livius XLV. 44 et Epit. Lib. XLVI ad »eum annum refert, quo consulatum gesserunt M. Claudius Marcellus, »C. Sulpicius Gallus, id est, ad annum ab U. C. 588. Polybius vero, »ineunte hyeme haec gesta esse scribens cap. 17, 14, videtur significare, »sub finem etiamnum superioris anni haec evenisse. Nam initium »quidem illius hyemis, quae annum consularem 588 clausit, non po- »tuit dicere: nec enim ita sero venire voluisse reges illi censendi »sunt, aliorumque populorum legati Romanis de felici belli Persici »exitu congratulaturi: et Theaetetus, Rhodiorum legatus, (de quo »cap. 19 Legat. XCIX agitur) cum jam anno 587 Rhodo esset pro- »fectus (vide cap. 5, 4 et 11) non exeunte demum anno 588 primum »fuerit in Senatum Romanum ingressus; sed consentaneum est, Sena- »tum ei reliquisque exterarum gentium legatis, pro more, datum »esse, postquam novi Consules anni 588 Idibus Martiis magistratum »iniissent. Prusiae vero regi, nil impedit, quo minus credamus »statim advenienti Senatum esse datum, prius quam novi consules es- »sent creati. Neque tamen eo minus eam rem ad annum 588 referre »Polybius potuit, quem et alias vidimus (ad XX. 3, 1) quae per »hyemem gesta sunt, ad eum annum retulisse, qui eandem hyemem »est consecutus."

OBSERVATIO XIII.

(ad Pag. 66)

De tempore, quo C. Sulpicius et M. Sergius legati in Asiam missi sunt.

Valesius ad Polyb. XXXI. 10 id contigisse putat Tiberio Graccho et Juventio Thalna Coss. Quem recte ita refellit Sevinus p. 286: »Il résulte de tout ce que l'on vient de dire, que le Sénat nomma »les Députez en question du vivant d'Antiochus, dont la mort tombe

»constamment sur la première année de la cent cinquante-quatrième »Olympiade; et dès-lors M. de Valois a eu tort de placer le départ »de Cajus Sulpicius sous le Consulat de Tibérius Gracchus et de Ju- »ventius Thalna; il y avoit plus d'un an que Demétrius estoit sur »le trône." Credibile est legatos missos fuisse A. U. C. 589 vel 590, sive Olymp. CLIII. 4 vel CLIV. 1.

OBSERVATIO XIV.

(ad Pag. 68)

De tempore, quo Attalus II fratri in regnum successit.

Ex Strabonis et aliorum calculis supra satis ostendimus Eumenem Olymp. CLV. 2 e vita decessisse. Sevinus p. 287 a nobis differt, qui, ubi de Sulpicii legatione mentionem fecit, ita argumentatur: »Il (Eumenes) vécut encore près de huit ans, et plus de seize, si »l'on adopte le calcul de Strabon, qui donne quarante-neuf ans de »règne à Eumenès. Mais je crois ce sentiment insoutenable, car At- »talus estoit déjà sur le trône, lorsque la défaite de ses troupes par »celles de Prusias l'obligea d'envoyer Athénée son frère implorer »l'assistance du Peuple Romain, et ce Prince, selon Polybe, arriva »en Italie sous le Consulat de Marcius, qui concourt avec la première »année de la cent cinquante-sixième Olympiade. Il s'ensuit de-là »qu'Eumenès avoit déjà terminé sa carrière, et peut-être même dès »l'année précédente; car Attalus, à ce que dit Polybe, signala son »avènement à la couronne par le rétablissement d'Ariarathès Roy »de Cappadoce. Or le rétablissement de ce Prince est antérieur au »Consulat de Marcius: Tite-Live le déclare formellement, et le texte »de cet Auteur établit avec évidence, si je ne me trompe, que la »mort d'Eumenès doit se rapporter à la dernière année de la cent »cinquante-cinquième Olympiade."

Ad hanc annorum computationem haec animadvertenda sunt:

I. Strabonis verba τετταράκοντα καὶ ἐννέα a librariis corrupta et pro iis τριάκοντα καὶ ἐννέα legendum, supra ostendimus. Vid. Observ. chron. I.

II. Sevinus recte ex Polybii et Livii locis laudatis colligit Eumenem diem obiisse ante consulatum Marcii (scilicet ante alterum ejus consulatum cum L. Cornelio Lentulo). Attamen nullam causam video, cur Eumenis mors in proxime antecedentem annum rejiciatur.

III. Reiskius ad Polyb. XXXII. 23 »Pertinet," inquit, »hoc fragmentum cum sequente ad illum locum, ubi Polybius de morte »Eumenis exposuit, quae evenit A. U. C. 595. Habet etiam Suidas »voce Εὐμένης." Vid. Schweigh. ann. ad Polyb. l. c., qui haec addit: »Eumenis mortem in annum U. C. 596, M. Aemilio Lepido, C. »Popilio Laenate Coss. posuit Simsonus in Chron. Univ. Atque in »eundem annum rectius fortasse a nobis posita haec ecloga fuisset »una cum ecloga praecedenti. (Cf. quae memoravimus ad init. cap. 21.) »Certe si 36 (lege 39) annos regnavit Eumenes, quemadmodum uti»que cum Simsono legendum apud Strabonem Lib. XIII. p. 624 »videtur, obitus ejus, quoniam regnare coepit A. U. 557, incidit in »A. U. 596. Quod si vero primum annum regni Eumenis numera»veris 558, incidet obitus in A. U. C. 597." Itaque Reiskius nobiscum facit, Schweighaeuserus vero et Simsonus, uti et Petavius Rat. Temp. I. 4. 11 uno tantum anno a nobis differunt: quod discrimen fere nullum est. Nam (quod supra jam diximus) spatio XXXIX annorum, quamdiu Eumenes regnavit, forsitan aliquot menses adjiciendi sunt, praesertim cum Petavius quoque (Rat. Temp I. 188) eum XL solidos annos regnasse tradiderit. Anno vero A. C. N. 157 sive U. C. 597 Attalum Eumeni fratri successisse censet Hisely disp. de hist. Cappad. p. 179.

OBSERVATIO XV.

(ad. Pag. 68)

De tempore, quo Attalus Ariarathem in Cappadociae regnum restituit.

Ex Polybii verbis satis apparet hoc non multo post quam Attalus regnare coeperat factum esse. Itaque Olympiade CLV. Sevinus p. 291, 292 in Olympiadem sequentem refert his verbis: »Ce premier exploit »d'Attalus tombe sur le commencement de la cent cinquante-sixième »Olympiade. Il est constamment antérieur à la guerre qu'il eut à »soutenir contre Prusias. Or ce fut dans le cours de la première année »de cette Olympiade-là même, que les Généraux Bithyniens défirent »les troupes de Pergame. Polybe en fournit la preuve. Il insinue »que les Ambassadeurs d'Attalus qui vinrent à Rome se plaindre des »injustes procédez de Prusias, furent introduits dans le Sénat par le »Préteur Aulus Posthumius; et Posthumius, au rapport de Cicéron, »exerça cette Magistrature sous le Consulat de Publius Cornélius Sci- »pion et de Marcus Claudius Marcellus, la seconde année de la cent »cinquante-sixième Olympiade. L'invasion de la Cappadoce fit éclater »les desseins de Prusias. Il luy estoit important de ne pas souffrir »qu'on accablât Oropherne, ennemi irréconciliable des Rois de Per- »game. La promptitude avec laquelle Attalus conduisit cette expé- »dition, déconcerta les mesures du Bithynien et de la République de »Selge son alliée. Le mécontentement des Cappadociens estoit général, »et à l'approche d'Ariarathès tous les peuples retournèrent sous l'o- »béissance de leur ancien maître." Scilicet ille praetor, qui apud Ciceronem l. l. Albinus dicitur, idem est, quem Polybius A. Postumium vocat. Recte initium belli inter Attalum et Bithyniae regem ... CLVI. 4 Sevinus statuit. Equidem statim ab accepto imperio

OBSERVATIO XVI.

(ad Pag. 71)

De tempore, quo bellum inter Attalum et Prusiam compositum fuit.

Supra ostendimus Athenaeum in Senatum introductum fuisse a Postumio A. U. C. 599. Ex rerum gestarum serie, Livio et Polybio testibus, satis manifestum est duos annos ab hoc tempore ad finem belli praeteriisse. Sevinus, pag. 296, hac in re nobiscum facit, ita disserens: »J'ay déjà observé, que la guerre dont on vient de par»ler, s'estoit allumée la première année de la cent cinquante-sixième »Olympiade. Pergame fut assiégée la seconde année, et la troisième »la paix se conclut. Je conviens que Polybe ne marque nulle part »la date précise de ces divers événements. Il est vray pourtant que »de la manière dont il les raconte, on ne sçauroit guères leur as»signer un ordre qui quadre mieux avec les textes de cet Historien."

OBSERVATIO XVII.

(ad Pag. 74)

De tempore, quo Alexander Balas Demetrium regno spoliavit.

Petavius Rat. Temp. I. 185. Alexandrum Balam contra Demetrium arma commovisse refert anno Graecorum 160: (Cf. Machab. I. 10. 1.) eique post biennium regnum ac vitam eripuisse. Itaque hoc factum videtur ejusdem aerae anno 162, qui respondet Olymp. CLVII. 2. Eandem computandi rationem sequitur Sevinus p. 298. 299.

OBSERVATIO XVIII.

(ad Pag. 77)

De tempore, quo Prusias a Nicomede filio interemtus fuit.

»Sigonius, d'après Tite-Live, rapporte ce fameux événement à la »troisième année de la cent cinquante-septième Olympiade, et le »sentiment de ce Critique me paroît très vraysemblable." Ita Sevinus pag. 304, 305. Mihi vero in sequentem annum referendum videtur; nam Menas, Prusiae legatus, *diu* Romae moratus est: conjunctione facta cum Nicomede et Andronico, Berenicen, Epiri oppidum adierunt: hinc Pergamum petiverunt: Attalus ad Prusiam nuntios misit: Prusias respondit et simul Romam misit legatos: hi *non statim* in Senatum sunt introducti: legatio Romana in Bithyniam profecta est, atque infecta re discessit: Prusias denique Nicomediam migravit, ubi interfectus est. Haec omnia non unius anni spatio accidisse arbitror, eoque magis quod Appianus refert Bithynos *paulatim* (κατ' ὀλίγους) ad Nicomedem defecisse.

OBSERVATIO XIX.

(ad Pag. 78)

De tempore, quo Corinthus capta et diruta fuit.

Petavius, Rat. Temp. I. 4. 11, cladem hujus urbis nobilissimae, Plinio id diserte testificante, contigisse ait Olymp. CLVIII. 3, A. U. C. 608, A. C. N. 146. Recte quidem, sed apud Plinium XXXIV. 2 (Petavius male citat XXXIII. 2) alium numerum legimus, nempe Olymp.


Harduinus mendum numero inesse putat, sed perperam numeri notam restituit. Schegkius quoque ad Vell. Pat. I. 13 hoc Plinii loco in errorem adductus est. Pausanias vero Olymp. CLX urbem dirutam ait. Vid. et Bongars. ad Just. XXXIV. 2.

OBSERVATIO XX.

(ad. Pag. 88)

De tempore, quo Crassus ab Aristonico proelio victus fuit.

Recte Sevinus pag. 314, 315, haec ait: »Ceci une fois établi, »il est aisé de concilier les Auteurs, qui parlent de cette ex»pédition. Les uns donnent à Crassus la qualité de Consul, et les »autres celle de Proconsul ou de Préteur. Ces deux recits, quoyque »différents en apparence, peuvent estre également véritables. Le »Consulat de Crassus estoit prêt à expirer lors de son entrée en Asie, »et il n'avoit plus que le titre de Proconsul lorsque la bataille se »donna." Jam ante Sevinum ita conjecerat Vinetus ad Flor. II. 20.










2





3





4




47
48
41
40
39
BITHYNIA
Sangarius Fl.
Bathys Fl.